348.744
V591

DE PROHIBITIONE
ET
CENSURA LIBRORUM
Constit. "Officiorum ac Munerum"
LEONIS PP. XIII.
ET
DISSERTATIO CANONICO-MORALIS

ARTHURI VERMEERSCH e S. J. Lovanii in Collegio maximo S. J. Professoris Theologiæ moralis et Juris canonici.

Tertia Editio auctior et accuratior. Accedunt responsa S. Congregationis.

Typis Societatis Sancti Joannis.
DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.
ROMÆ — TORNACI.

COLLEGE
348.744
LIBRARY
V591
California
COLLEGE
LIBRARY
California
1899
4795

Ego AUGUSTUS PETIT, Præpositus Provincialis Societatis Jesu in Belgio, potestate ad hoc mihi facta ab Admodum Reverendo Patre LUDOVICO MARTIN, ejusdem Societatis Præposito Generali, facultatem concedo, ut opus cui titulus *De Prohibitione et Censura Librorum Constitutio " Officiorum et Munerum " Leonis Pp. XIII. et Dissertatio canonico-moralis*, editio tertia, ab A. VERMEERSCH S. J. conscriptum, et a deputatis censoribus rite recognitum atque approbatum, typis mandetur.

In quorum fidem has litteras manu mea subscriptas et sigillo meo munitas dedi.

Bruxellis, die 1 Novembris 1898.

Augustus Petit S. J.

Nihil obstat.
IMPRIMATUR.
Tornaci, die 20 Decembris 1898.
G. F. J. BOUVRY, Vic. Gen.

Præfatio ad hanc tertiam editionem.

TERTIO jam edimus interpretationem Constitutionis, qua 25 Januarii 1897[1] gloriosus Pontifex Leo XIII catholicum orbem providentissime donavit. Rursus, ut monebamus in superiore editione, non proprias tantum dabimus sententias[2], verum etiam præcipua quæ aliis placuerunt sincere referemus; nec omittemus, quantum fert opusculi exiguitas, contrarias perpendere rationes.

Ut jure ac merito libellum inscriberemus *canonico-moralem*, ad definiendum reatum fori interni animum intendimus; atque indicavimus quid diversis a nostra opinionibus tribueremus probabilitatis.

Tertia hæc editio paucis mensibus a secunda distat. Operam tamen dedimus, ut prodiret politior, magisque utilis benevolo Lectori, qui jure quodammodo suo id a nobis postulare videbatur.

In quem finem :

1° Læti excepimus eas quæ ad varia dubia prolatæ sunt responsiones romanas, præsertim quum hucusque nos potius in propria sententia confirmarent.

---

[1] In Bulla, annus sumitur *Incarnationis* Dominicæ, cujus initium est 25ª Martii, et propterea indicatur 1896.

[2] Quum primo opusculum edebamus, nullus, quod sciamus, prodierat commentarius C. *Officiorum ac Munerum* præter expositionem, ceterum præclaram, quam gallice fecit R. P. Desjardins e S. I. in *Etudes religieuses*.

2° Visum est deinde nonnulla, in ipso corpore dissertationis, supplere quæ omissa erant; alia temperatius proponere, vel in formam aut explicatiorem, aut meliorem redigere.

3° Triginta septem numeris *marginalibus*, quos vitandæ confusionis causa conservavimus, subjecimus ut principalioribus, alios frequentiores, quo fácilius distinguerentur singuli loci hujus lucubrationis.

4° In margine, juxta articulos Constitutionis, quos continua serie exhibemus a p. 11, notavimus quo loco Dissertationis singuli explicarentur.

5° Ad calcem opusculi, exhibemus in Appendice responsa S. Congregationis, quæ ad præsentem diem de re nostra sunt vulgata.

Restat ut denuo gratum significemus animum nostrum multis viris doctis qui nobis adfuere consilio, vel in non paucis ephemeridibus et publicationibus periodicis non dubitarunt lucubrationem nostram suo suffragio aperte comprobare.

Simul D. O. M., per intercessionem Omnium Sanctorum, in quorum festo scribimus, supplices oramus, ut hac etiam vice, velit humili nostro conatui benedicere.

INDEX.

PAG.

CONSTITUTIO "Officiorum ac Munerum." . 11

PROŒMIUM Dissertationis.

I. — Monitio prævia 25
II. — Auctoritates 25
III. — Ratio ordinis 28

CAPUT PRIMUM.
Notiones generales.

I. — Ratio, indoles harum legum . . . 29
II. — Vigentes leges positivæ 30
III. — Scopus Constitutionis 34
IV. — Qua utendum interpretatione, utrum lata an stricta 34
V. — Universalem vim quousque obtineat hæc Constitutio 38
VI. — Quid liber, libellus, scriptum . . . 40
VII. — Extensio prohibitionis quoad objectum et quoad tempus. 43
VIII. — Vis, seu significatio prohibitionis
A) De prohibitione absolute facta. . . 45
B) De minus absoluta prohibitione . . 49
IX. — Variæ prohibitionis rationes . . . 51

CAPUT SECUNDUM.
De Operibus quæ proscribuntur.

Sect. I. — DE PROHIBITIONIBUS LIBRORUM.

ART. I. — *Libri omnibus et sine temperamento prohibiti.*

I. — Libri damnati ante 1600 (art. 1 Const.). . 56
II. — Libri propugnantes hæresim vel schisma, aut evertentes Religionis fundamenta (art. 2) . 57
III. — Libri ex professo obsceni (art. 9) . . . 58
IV. — Libri detrahentes Deo, B. V. M., Sanctis, catholicæ Ecclesiæ ejusque cultui vel Sacramentis, aut Apostolicæ Sedi (art. 11, 1 p.) . 59

v. — Libri qui inspirationis S. Scripturæ conceptum adulterant, aut nimis coarctant ejus extensionem (art. 11, 2 p.) 61

VI. — Libri data opera insultantes ecclesiasticæ Hierarchiæ aut statui clericali vel religioso (art. 11, 3 p.) 62

VII. — Libri qui docent vel commendant artes superstitiosas (art. 10) 62

VIII. — Libri qui duellum, suicidium vel divortium licita statuunt (art. 14, 1 p.) 63

IX. — Libri qui de sectis massonicis vel hujus generis agentes, eas utiles esse contendunt (art. 14, 2 p.) 64

X. — Libri qui tuentur errores proscriptos ab Apostolica Sede (art. 14, 3 p.) 68

ART. II. — *Libri minus universaliter prohibiti.*

§ 1. Qui *de se liciti* defectu conditionis cujuspiam vetantur.

I. — Libri aut scripta quæ referunt nova facta supernaturalia (art. 13, 1 p.) 69

II. — Libri qui novas inducunt devotiones (art. 13, 2 p.) 71

III. — Novæ editiones librorum liturgicorum difformes ab authenticis (art. 18). 73

IV. — Libri practici devotionis, aut institutionis religiosæ vel moralis (art. 20) 77

§ 2. Libri *de se suspecti* qui certa lege omnibus aut certis personis permittuntur.

I. — Qui certa lege *omnibus* permittuntur.
A) Libri quidam acatholicorum (art. 3 et 4) . 78
B) Sacrorum Bibliorum versiones catholicæ in lingua vernacula (art. 7) 80

II. — Qui certa lege *quibusdam* indulgentur.
A) Sacrorum Bibliorum editiones aut versiones acatholicæ (art. 5, 6 et 8) 80
B) Libri classici obsceni. 82

Sect. II. — DE PROHIBITIONIBUS QUÆ ETIAM ALIA OPERA QUAM LIBROS AFFICIUNT.

ART. I. — *De scriptis, libellis* (art. 14 et 20) . . . 85

ART. II. — *De diariis, foliis et libellis periodicis.*

I. — Quænam proscribantur hac Constitutione (art. 21, 1 p.) 85
II. — Ab Ordinariis exercenda pastoralis vigilantia (art. 21, 2 p.) 89
III. — Ne catholici quid publicent in his foliis (art. 22). 90

ART. III. — *De indulgentiis.*

I. — De apocryphis non vulgandis (art. 16) . . 91
II. — De Indulgentiarum libris et foliis (art. 17) . 91

ART. IV. — *De imaginibus sacris* (art. 15). . . . 92

CAPUT TERTIUM.

Leges de prævia censura.

Sect. I. — DISPOSITIONES OMNIUM COMMUNES.

ART. I. — *Quænam sint obnoxia censuræ.*

§ 1. Ex regula generali.
I. — Libri qui religiosas aut morales disciplinas respiciunt (art. 41, 1 p.) 95
II. — Scripta in quibus religionis et morum honestatis *specialiter* intersit (art. 41, 2 p.) . . 96
III. — Nova editio et versio operis obnoxii legi censuræ (art. 44) 97

§ 2. Ex speciali communis legis mentione (art. 7, 13, 15, 17, 19, 20, 31, 32, 33). 98

§ 3. Ex jure peculiari Missionum (art. 34) 99

ART. II. — *Ad quem spectet censura.*
I. — In genere (art. 35). 100
II. — Si Romæ degas (art. 37) 101

ART. III. — *Variæ regulæ secundariæ.*
I. — Quinam eligendi censores (art. 38, 39) . . 102
II. — Quomodo danda et imprimenda facultas (art. 40) 102
III. — Requisitæ indicationes nominis, loci et anni (art. 43) 103

Sect. II. — Dispositiones speciales pro clero seculari et regulari.

Art. I. — *De clero seculari.*

I. — Quoad libros (art. 42, 1ª p.) 104
II. — Quoad folia periodica (art 42, 2ª p.) . . 105

Art. II. — *De regularibus* (art. 36) 105

CAPUT QUARTUM.

De sanctionibus harum legum, et facultate legendi et retinendi opera prohibita.

Sect. I. — De Sanctionibus.

Art. I. — *Reatus culpæ.*

I. — Quoad libros 107
II. — Quoad folia et libellos periodicos . . . 109
III. — Quoad cetera legis præcepta 111

Art. II. — *Libri prohibitio* 111

Art. III. — *Obligatio denunciandi* (art. 27 et 28) . . 111

Art. IV. — *Pœnæ ferendæ sententiæ* (art. 49) . . . 112

Art. V. — *Excommunicatio latæ sententiæ specialiter reservata S. Sedi* (art. 47) 112

Art. VI. — *Excommunicatio latæ sententiæ nemini reservata* (art. 48) 116

Sect. II. — De facultate legendi et retinendi opera prohibita.

Art. I. — *Necessitas licentiæ. An præsumi possit* (art. 23) 117

Art. II. — *Quis dare possit facultatem.*

§ 1. Quoad libros a S. Sede proscriptos.
I. — Quinam per se possint generalem dare facultatem (art. 24) 118
II. — Quid possint Episcopi et Prælati jurisdictione quasi episcopali pollentes (art. 25) . . 118

§ 2. Quoad libros ab Episcopis prohibitos (art. 26, 1ª p.). 120

ART. III. — *Quomodo facultas sit interpretanda.*

I. — Num late accipienda. Num facultas pro libris afficiat ephemerides 121

II. — Clausulæ " Exceptis libris ex professo contra Religionem"; "ad effectum eos impugnandi". 121

III. — An ubique uti possis recepta facultate . . 122

ART. IV. — *Obligatio diligenter custodiendi libros prohibitos pro quibus habeas facultatem* (art. 26 fine). 123

APPENDIX — Responsa S. Congregationis ad dubia super Constitutione *Officiorum ac Munerum* . . 124

TABELLA Concordiæ. 126

INDEX alphabeticus rerum præcipuarum . . 128

Laus Deo

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Conferas Dissertationis :

OFFICIORUM ac munerum, quæ diligentissime sanctissimeque servari in hoc apostolico fastigio oportet, hoc caput atque hæc summa est, assidue vigilare atque omni ope contendere, ut integritas fidei morumque christianorum ne quid detrimenti capiat. Idque, si unquam alias, maxime est necessarium hoc tempore, cum, effrenatis licentia ingeniis ac moribus, omnis fere doctrina, quam servator hominum Jesus Christus tuendam Ecclesiæ suæ ad salutem generis humani permisit, in quotidianum vocatur certamen atque discrimen. Quo in certamine variæ profecto atque innumerabiles sunt inimicorum calliditates artesque nocendi : sed cum primis est plena periculorum intemperantia scribendi, disseminandique in vulgus quæ prave scripta sunt. Nihil enim cogitari potest perniciosius ad inquinandos animos per contemptum religionis perque illecebras multas peccandi. Quamobrem tanti metuens mali, et incolumitatis fidei ac morum custos et vindex Ecclesia, maturrime intellexit, remedia contra ejusmodi pestem esse sumenda : ob eamque rem id perpetuo studuit, ut homines, quoad in se esset, pravorum librorum lectione, hoc est pessimo veneno, prohiberet. Vehemens hac in re studium beati Pauli viderunt proxima originibus tempora : similique ratione perspexit sanctorum Patrum vigilantiam, jussa Episcoporum, Conciliorum decreta, omnis consequens ætas.

num. 4.

Præcipue vero monumenta litterarum testantur, quanta cura diligentiaque in eo evigilaverint romani Pontifices, ne hæreticorum scripta, malo publico, impune serperent. Plena est exemplorum vetustas. Anastasius I scripta Origenis

perniciosiora, Innocentius I Pelagii, Leo magnus Manichæorum opera omnia, gravi edicto damnavere. Cognitæ eadem de re sunt litteræ *decretales* de recipiendis et non recipiendis libris, quas Gelasius opportune dedit. Similiter, decursu ætatum, Monothelitarum, Abælardi, Marsilii Patavini, Wicleffi et Hussii pestilentes libros, sententia Apostolicæ Sedis confixit.

Sæculo autem decimo quinto, comperta arte nova libraria, non modo in prave scripta animadversum est, quæ lucem aspexissent, sed etiam ne qua ejus generis posthac ederentur, caveri cœptum. Atque hanc providentiam non levis aliqua causa, sed omnino tutela honestatis ac salutis publicæ per illud tempus postulabat : propterea quod artem per se optimam, maximarum utilitatum parentem, christianæ gentium humanitati propagandæ natam, in instrumentum ingens ruinarum nimis multi celeriter deflexerant. Magnum prave scriptorum malum, ipsa vulgandi celeritate majus erat ac velocius effectum. Itaque saluberrimo consilio cum Alexander VI tum Leo X decessores Nostri, certas tulere leges, utique congruentes iis temporibus ac moribus, quæ officinatores librarios in officio continerent.

Mox graviore exorto turbine, multo vigilantius ac fortius oportuit malarum hæreseon prohibere contagia. Idcirco idem Leo X posteaque Clemens VII gravissime sanxerunt, ne cui legere, neu retinere, Lutheri libros fas esset. Cum vero pro illius ævi infelicitate crevisset præter modum atque in omnes partes pervasisset perniciosorum librorum impura colluvies, ampliore ac præsentiore remedio opus esse videbatur. Quod quidem remedium opportune primus adhibuit Paulus IV decessor Noster, videlicet elencho proposito scriptorum et librorum, a quorum usu cavere fideles oporteret. Non ita multo post, Tridentinæ Synodi Patres gliscentem scribendi legendique licentiam novo consilio coercendam curaverunt. Eorum quippe voluntate jussuque lecti ad id præsules et theologi non solum augendo perpoliendoque Indici, quem Paulus IV ediderat, dedere operam, sed Regulas etiam conscripsere, in editione, lectione, usuque librorum servandas : quibus Regulis Pius IV apostolicæ auctoritatis robur adjecit.

Verum salutis publicæ ratio, quæ Regulas Tridentinas initio genuerat, novari aliquid in eis, labentibus ætatibus, eadem jussit. Quamobrem romani Pontifices nominatimque Clemens VIII, Alexander VII, Benedictus XIV, gnari temporum et memores prudentiæ, plura decrevere, quæ ad eas explicandas atque accommodandas tempori valuerunt.

Quæ res præclare confirmant, præcipuas romanorum Pontificum curas in eo fuisse perpetuo positas, ut opinionum errores morumque corruptelam, geminam hanc civitatum labem ac ruinam, pravis libris gigni ac disseminari solitam, a civili hominum societate defenderent. Neque fructus fefellit operam, quamdiu in rebus publicis administrandis rationi imperandi ac prohibendi lex æterna præfuit, rectoresque civitatum cum potestate sacra in unum consensere.

Quæ postea consecuta sunt, nemo nescit. Videlicet cum adjuncta rerum atque hominum sensim mutavisset dies, fecit id Ecclesia prudenter more suo, quod, perspecta natura temporum, magis expedire atque utile esse hominum saluti videretur. Plures Regularum Indicis præscriptiones, quæ excidisse opportunitate pristina videbantur, vel decreto ipsa sustulit, vel more usuque alicubi invalescente antiquari benigne simul ac provide sivit. Recentiore memoria, datis ad Archiepiscopos Episcoposque e principatu pontificio litteris, Pius IX Regulam X magna ex parte mitigavit. Præterea, propinquo jam Concilio magno Vaticano, doctis viris, ad argumenta paranda delectis, id negotium dedit, ut expenderent atque æstimarent Regulas Indicis universas, judiciumque ferrent, quid de iis facto opus esset. Illi commutandas, consentientibus sententiis, judicavere. Idem se et sentire et petere a Concilio plurimi ex Patribus aperte profitebantur. Episcoporum Galliæ exstant hac de re litteræ, quarum sententia est, necesse esse et sine cunctatione faciendum, ut *Illæ Regulæ et universa res Indicis novo prorsus modo nostræ ætati melius attemperato et observatu faciliori instaurarentur*. Idem eo tempore judicium fuit Episcoporum Germaniæ, plane petentium, ut *Regulæ Indicis... recenti revisioni et redactioni submittantur*. Quibus Episcopi concinunt ex Italia aliisque e regionibus complures.

Dissertis :

Qui quidem omnes, si temporum, si institutorum civilium, si morum popularium habeatur ratio, sane æqua postulant et cum materna Ecclesiæ sanctæ caritate convenientia. Etenim in tam celeri ingeniorum cursu, nullus est scientiarum campus, in quo non litteræ licentius excurrant : inde pestilentissimorum librorum quotidiana colluvies. Quod vero gravius est, in tam grandi malo non modo connivent, sed magnam licentiam dant leges publicæ. Hinc ex una parte, suspensi religione animi plurimorum : ex altera, quidlibet legendi impunita copia.

5 4. 6. Hisce igitur incommodis medendum rati, duo facienda duximus, ex quibus norma agendi in hoc genere certa et perspicua omnibus suppetat. Videlicet librorum improbatæ lectionis diligentissime recognosci Indicem ; subinde, maturum cum fuerit, ita recognitum vulgari jussimus. Præterea ad ipsas Regulas mentem adjecimus, easque decrevimus, incolumi earum natura, efficere aliquanto molliores, ita plane ut iis obtemperare, dummodo quis ingenio malo non sit, grave arduumque esse non possit. In quo non modo exempla sequimur decessorum Nostrorum, sed maternum Ecclesiæ studium imitamur : quæ quidem nihil tam expetit, quam se impertire benignam, sanandosque ex se natos ita semper curavit, curat, ut eorum infirmitati amanter studioseque parcat.

5, 8. Itaque matura deliberatione, adhibitisque S. R. E. Cardinalibus e sacro Consilio libris notandis, edere *Decreta Generalia* statuimus, quæ infra scripta, unaque cum hac Constitutione conjuncta sunt : quibus idem sacrum Consilium posthac utatur unice, quibusque catholici homines toto orbe religiose pareant. Ea vim legis habere sola volumus, abrogatis *Regulis* sacrosanctæ Tridentinæ Synodi jussu editis, *Observationibus*, *Instructione*, *Decretis*, *Monitis*, et quovis alio decessorum Nostrorum hac de re statuto jussuque, una excepta Constitutione Benedicti XIV *Sollicita et providа*, quam, sicut adhuc viguit, ita in posterum vigere integram volumus.

Dissertis :

Decreta Generalia de prohibitione et censura librorum.

TITULUS I.

DE PROHIBITIONE LIBRORUM.

CAPUT I.

De prohibitis apostatarum, hæreticorum, schismaticorum, aliorumque scriptorum libris.

1. Libri omnes, quos ante annum MDC, aut Summi Pontifices, aut Concilia œcumenica damnarunt, et qui in novo Indice non recensentur, eodem modo damnati habeantur, sicut olim damnati fuerunt : iis exceptis, qui per hæc Decreta Generalia permittuntur. 13 1.

2. Libri apostatarum, hæreticorum, schismaticorum et quorumcumque scriptorum hæresim vel schisma propugnantes, aut ipsa religionis fundamenta utcumque evertentes, omnino prohibentur. 13 2.

3. Item prohibentur acatholicorum libri, qui ex professo de religione tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri. 15 1.

4. Libri eorumdem auctorum, qui ex professo de religione non tractant, sed obiter tantum fidei veritates attingunt, jure ecclesiastico prohibiti non habeantur, donec speciali decreto proscripti haud fuerint. 15 1 6.

CAPUT II.

De Editionibus textus originalis et versionum non vulgarium Sacræ Scripturæ.

5. Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum Sacræ Scripturæ, etiam Ecclesiæ Orientalis, ab acatholicis quibuscumque publicatæ, etsi fideliter et integre editæ appareant, iis dumtaxat, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, dummodo tamen non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus catholicæ fidei dogmata, permittuntur. 16 1.

Dissertis :

16 1. 6. Eadem ratione, et sub iisdem conditionibus, permittuntur aliæ versiones Sacrorum Bibliorum sive latina, sive alia lingua non vulgari ab acatholicis editæ.

CAPUT III.

De Versionibus vernaculis Sacræ Scripturæ.

15 2, 22 1) 29. 7. Cum experimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri; versiones omnes in lingua vernacula, etiam a viris catholicis confectæ, omnino prohibentur, nisi fuerint ab Apostolica Sede approbatæ, aut editæ sub vigilantia Episcoporum cum adnotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiæ Patribus, atque ex doctis catholicisque scriptoribus.

16 1. 8. Interdicuntur versiones omnes Sacrorum Bibliorum, quavis vulgari lingua ab acatholicis quibuscumque confectæ, atque illæ præsertim, quæ per Societates Biblicas, a Romanis Pontificibus non semel damnatas, divulgantur, cum in iis saluberrimæ Ecclesiæ leges de divinis libris edendis funditus posthabeantur.

Hæ nihilominus versiones iis, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, permittuntur : iis servatis, quæ supra (n. 5) statuta sunt.

CAPUT IV.

De Libris obscenis.

13 3. 9. Libri, qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant, aut docent, cum non soluni fidei, sed et morum, qui hujusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur.

16 2, 10 3. 10. Libri auctorum sive antiquorum, sive recentiorum, quos classicos vocant, si hac ipsa turpitudinis labe infecti sunt, propter sermonis elegantiam et proprietatem, iis tantum permittuntur, quos officii aut magisterii ratio excusat : nulla tamen ratione pueris vel adolescentibus, nisi solerti cura expurgati, tradendi aut prælegendi erunt.

Dissertis :

CAPUT V.

De quibusdam specialis argumenti libris.

11. Damnantur libri, in quibus Deo, aut Beatæ Virgini Mariæ, vel Sanctis, aut Catholicæ Ecclesiæ ejusque Cultui, vel Sacramentis, aut Apostolicæ Sedi detrahitur. Eidem reprobationis judicio subjacent ea opera, in quibus inspirationis Sacræ Scripturæ conceptus pervertitur, aut ejus extensio nimis coarctatur. Prohibentur quoque libri, qui data opera Ecclesiasticam Hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt. — 13 4-6.

12. Nefas esto libros edere, legere aut retinere in quibus sortilegia, divinatio, magia, evocatio spirituum, aliæque hujus generis superstitiones docentur, vel commendantur. — 13 7, 11 1-8.

13. Libri aut scripta, quæ narrant novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula, vel quæ novas inducunt devotiones, etiam sub prætextu quod sint privatæ, si publicentur absque legitima Superiorum Ecclesiæ licentia, proscribuntur. — 14 1, 2; 9, 22 2), 29.

14. Prohibentur pariter libri, qui duellum, suicidium, vel divortium licita statuunt, qui de sectis massonicis, vel aliis ejusdem generis societatibus agunt, easque utiles et non perniciosas Ecclesiæ et civili societati esse contendunt, et qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur. — 13 8-10.

CAPUT VI.

De Sacris Imaginibus et Indulgentiis.

15. Imagines quomodocumque impressæ Domini Nostri Jesu Christi, Beatæ Mariæ Virginis, Angelorum atque Sanctorum, vel aliorum Servorum Dei ab Ecclesiæ sensu et decretis difformes, omnino vetantur. Novæ vero, sive preces habeant adnexas, sive absque illis edantur, sine Ecclesiasticæ potestatis licentia non publicentur. — 20, 22 3).

16. Universis interdicitur indulgentias apocryphas, et a Sancta Sede Apostolica proscriptas vel revocatas quomodocumque divulgare. Quæ divulgatæ jam fuerint, de manibus fidelium auferantur. — 19 1.

17. Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia, etc., in quibus earum concessiones continentur, non publicentur absque competentis auctoritatis licentia. — 19 2, 22 4).

Dissertis :

CAPUT VII.

De libris liturgicis et precatoriis.

14 3. 18. In authenticis editionibus Missalis, Breviarii, Ritualis, Cæremonialis Episcoporum, Pontificalis romani, aliorumque librorum liturgicorum a Sancta Sede Apostolica approbatorum, nemo quidquam immutare præsumat : si secus factum fuerit, hæ novæ editiones prohibentur.

22 5). 19. Litaniæ omnes, præter antiquissimas et communes, quæ in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus ac Ritualibus continentur, et præter Litanias de Beata Virgine, quæ in sacra Æde Lauretana decantari solent, et Litanias Sanctissimi Nominis Jesu jam a Sancta Sede approbatas, non edantur sine revisione et approbatione Ordinarii.

18 4, 9, 17, 22 6), 29. 20. Libros, aut libellos precum, devotionis, vel doctrinæ institutionisque religiosæ, moralis, asceticæ, mysticæ, aliosque hujusmodi, quamvis ad fovendam populi christiani pietatem conducere videantur, nemo præter legitimæ auctoritatis licentiam publicet : secus prohibiti habeantur.

CAPUT VIII.

De Diariis, foliis et libellis periodicis.

18 1-2, 12 3. 21. Diaria, folia et libelli periodici, qui religionem aut bonos mores data opera impetunt, non solum naturali, sed etiam ecclesiastico jure proscripti habeantur.

Curent autem Ordinarii, ubi opus sit, de hujusmodi lectionis periculo et damno fideles opportune monere.

18 3. 22. Nemo e catholicis, præsertim e viris ecclesiasticis, in hujusmodi diariis, vel foliis, vel libellis periodicis, quidquam, nisi suadente justa et rationabili causa, publicet.

CAPUT IX.

De facultate legendi et retinendi libros prohibitos.

35. 36. 23. Libros sive specialibus, sive hisce Generalibus Decretis proscriptos, ii tantum legere et retinere poterunt, qui a Sede Apostolica, aut ab illis, quibus vices suas delegavit, opportunas fuerint consecuti facultates.

Dissertis

24. Concedendis licentiis legendi et retinendi libros quoscumque prohibitos Romani Pontifices Sacram Indicis Congregationem præposuere. Eadem nihilominus potestate gaudent, tum Suprema Sancti Officii Congregatio, tum Sacra Congregatio de Propaganda Fide pro regionibus suo regimini subjectis. Pro Urbe tantum, hæc facultas competit etiam Sacri Palatii Apostolici Magistro. 35 1.

25. Episcopi aliique Prælati jurisdictione quasi episcopali pollentes, pro singularibus libris, atque in casibus tantum urgentibus, licentiam concedere valeant. Quod si iidem generalem a Sede Apostolica impetraverint facultatem, ut fidelibus libros proscriptos legendi retinendique licentiam impertiri valeant, eam nonnisi cum delectu et ex justa et rationabili causa concedant. 35 1 bis.

26. Omnes qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet, aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas, nisi eis in apostolico indulto expressa facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a quibuscumque damnatos. Meminerint insuper qui licentiam legendi libros prohibitos obtinuerunt, gravi se præcepto teneri hujusmodi libros ita custodire, ut ad aliorum manus non perveniant. 35 2, 36, 37.

CAPUT X.

De denunciatione pravorum librorum.

27. Quamvis catholicorum omnium sit, maxime eorum, qui doctrina prævalent, perniciosos libros Episcopis, aut Apostolicæ Sedi denunciare; id tamen speciali titulo pertinet ad Nuntios, Delegatos Apostolicos, locorum Ordinarios, atque Rectores Universitatum doctrinæ laude florentium. 30.

28. Expedit ut in pravorum librorum denunciatione non solum libri titulus indicetur, sed etiam, quoad fieri potest, causæ exponantur ob quas liber censura dignus existimatur. Iis autem ad quos denunciatio defertur, sanctum erit, denunciantium nomina secreta servare. 30.

29. Ordinarii, etiam tamquam Delegati Sedis Apostolicæ, libros, aliaque scripta noxia in sua Diœcesi edita vel diffusa proscribere, et e manibus fidelium auferre studeant. Ad Apostolicum judicium ea deferant opera vel scripta, quæ 12 2-4, 18 2.

Dissertis : subtilius examen exigunt, vel in quibus ad salutarem effectum consequendum, supremæ auctoritatis sententia requiri videatur.

TITULUS II.

DE CENSURA LIBRORUM.

CAPUT I.

De Prælatis librorum censuræ præpositis.

15 2, 22 1), 29. 30. Penes quos potestas sit sacrorum Bibliorum editiones et versiones adprobare vel permittere ex iis liquet, quæ supra (n. 7) statuta sunt.

10 3, 22 7). 31. Libros ab Apostolica Sede proscriptos nemo audeat iterum in lucem edere : quod si ex gravi et rationabili causa, singularis aliqua exceptio hac in re admittenda videatur, id nunquam fiet, nisi obtenta prius sacræ Indicis Congregationis licentia, servatisque conditionibus ab ea præscriptis.

22 8). 32. Quæ ad causas Beatificationum et Canonizationum Servorum Dei utcumque pertinent, absque beneplacito Congregationis Sacris Ritibus tuendis præpositæ publicari nequeunt.

22 9). 33. Idem dicendum de Collectionibus Decretorum singularum Romanarum Congregationum : hæ nimirum Collectiones edi nequeant, nisi obtenta prius licentia, et servatis conditionibus a moderatoribus uniuscujusque Congregationis præscriptis.

23. 34. Vicarii et Missionarii Apostolici Decreta sacræ Congregationis Propagandæ Fidei præpositæ de libris edendis fideliter servent.

24 1. 35. Approbatio librorum, quorum censura præsentium Decretorum vi Apostolicæ Sedi vel Romanis Congregationibus non reservatur, pertinet ad Ordinarium loci in quo publici juris fiunt.

27. 36. Regulares, præter Episcopi licentiam, meminerint teneri se, sacri Concilii Tridentini decreto, operis in lucem edendi facultatem a Prælato, cui subjacent, obtinere. Utraque autem concessio in principio vel in fine operis imprimatur.

24 2. 37. Si Auctor Romæ degens librum non in Urbe, sed alibi imprimere velit, præter approbationem Cardinalis

Dissertis :

Urbis Vicarii et Magistri Sacri Palatii Apostolici, alia non requiritur.

CAPUT II.

De censorum officio in prævio librorum examine.

38. Curent Episcopi, quorum muneris est facultatem libros imprimendi concedere, ut eis examinandis spectatæ pietatis et doctrinæ viros adhibeant, de quorum fide et integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiæ daturos, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei dumtaxat gloriam spectaturos et fidelis populi utilitatem. 25 1.

39. De variis opinionibus atque sententiis (juxta Benedicti XIV præceptum) animo a præjudiciis omnibus vacuo, judicandum sibi esse censores sciant. Itaque nationis, familiæ, scholæ, instituti affectum excutiant, studia partium seponant. Ecclesiæ sanctæ dogmata, et communem Catholicorum doctrinam, quæ Conciliorum generalium decretis, Romanorum Pontificum Constitutionibus, atque Doctorum consensu continentur, unice præ oculis habeant. 25 1.

40. Absoluto examine, si nihil publicationi libri obstare videbitur, Ordinarius, in scriptis et omnino gratis, illius publicandi licentiam, in principio vel in fine operis imprimendam, auctori concedat. 25 2.

CAPUT III.

De libris prævia censuræ subjiciendis.

41. Omnes fideles tenentur prævia censuræ ecclesiasticæ eos saltem subjicere libros, qui divinas Scripturas, Sacram Theologiam, Historiam ecclesiasticam, Jus Canonicum, Theologiam naturalem, Ethicen, aliasve hujusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac generaliter scripta omnia, in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit. 21.

42. Viri e clero seculari ne libros quidem, qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant, inconsultis suis Ordinariis publicent, ut obsequentis animi erga illos exemplum præbeant. 26.

Iidem prohibentur quominus, absque prævia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant. 25 3.

Dissertis :

CAPUT IV.

De Typographis et Editoribus librorum.

25 3. 43. Nullus liber censuræ ecclesiasticæ subjectus excudatur, nisi in principio nomen et cognomen tum auctoris, tum editoris præferat, locum insuper et annum impressionis atque editionis. Quod si aliquo in casu, justas ob causas, nomen auctoris tacendum videatur, id permittendi penes Ordinarium potestas sit.

21 3. 44. Noverint Typographi et Editores librorum novas ejusdem operis approbati editiones, novam approbationem exigere, hanc insuper textui originali tributam, ejus in aliud idioma versioni non suffragari.

8, 10 5, 12 1. 45. Libri ab Apostolica Sede damnati, ubique gentium prohibiti censeantur, et in quodcumque vertantur idioma.

11 5. 46. Quicumque librorum venditores, præcipue qui catholico nomine gloriantur, libros de obscenis ex professo tractantes neque vendant, neque commendent, neque retineant : ceteros prohibitos venales non habeant, nisi a Sacra Indicis Congregatione veniam per Ordinarium impetraverint, nec cuiquam vendant nisi prudenter existimare possint, ab emptore legitime peti.

CAPUT V.

De pœnis in Decretorum Generalium transgressores statutis.

32. 47. Omnes et singuli scienter legentes, sine auctoritate Sedis Apostolicæ, libros apostatarum et hæreticorum hæresim propugnantes, nec non libros cujusvis auctoris per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes, excommunicationem ipso facto incurrunt, Romano Pontifici speciali modo reservatam.

33. 48. Qui sine Ordinarii approbatione Sacrarum Scripturarum libros, vel earumdem adnotationes vel commentarios imprimunt, aut imprimi faciunt, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam.

31. 49. Qui vero cetera transgressi fuerint, quæ his Decretis Generalibus præcipiuntur, pro diversa reatus gravitate serio

Dissertis :

ab Episcopo moneantur; et, si opportunum videbitur, canonicis etiam pœnis coerceantur.

Præsentes vero litteras et quæcumque in ipsis habentur nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis sive intentionis Nostræ vitio aliove quovis defectu notari vel impugnari posse; sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cujusvis gradus et præeminentiæ inviolabiliter in judicio et extra observari debere, decernimus: irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel prætextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari declarantes, contrariis non obstantibus quibuscumque. 5 3, 4

Volumus autem ut harum litterarum exemplis, etiam impressis, manu tamen Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habeatur fides quæ Nostræ voluntatis significationi his præsentibus ostensis haberetur.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostræ constitutionis, ordinationis, limitationis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. — Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo octingentesimo nonagesimo sexto, VIII Kal. Februarias, Pontificatus Nostri decimo nono.

A. CARD. MACCHI

A. PANICI, *Subdatarius.*

VISA

DE CURIA I. DE AQUILA E VICECOMITIBUS

Loco ✠ Plumbi.

Reg. in Secret. Brevium.

I. CUGNONIUS.

PROŒMIUM.

I. — Monitio prævia. 1

IN primis monitum volumus benevolum Lectorem, hanc a nobis proponi interpretationem, quam principiis juris et scholarum traditionibus arbitramur consentaneam. Si tamen postmodum Decreta aut Responsa Romanarum Congregationum eam in quibusdam punctis ostenderint corrigendam, libenti animo obtemperabimus. Contingit enim, præsertim ubi recentior agitur lex, ut authenticæ S. Sedis declarationes, apte moderando vel ampliando legis literam, talem definiant ejus sensum, quem homo privatus detegere non potuisset.

II. — Auctoritates. 2

In rem esse putavimus hic describere, subjectis, ubi opus esset, editione et ratione citandi, præcipua tum libros tum periodicas publicationes, quæ nobis utilissimo simul et gratissimo fuere subsidio.

A. *Ex superioris ævi Doctoribus :*

S. ALPHONSI, tum Theologia moralis l. 7 n. 281-299 ; tum Dissertatio de justa prohibitione et abolitione librorum etc. (Appendix ad theol. mor.).

JACOBI GRETSER Soc. Jesu theologi, de jure et more prohibendi, expurgandi et abolendi libros hæreticos et noxios. (Ingoldstadii, 1653).

C. LUGO, De Fide d. 21 s. 2.

REIFFENSTUEL, Jus canonicum l. 1 t. 31 n. 143, 144 ; l. 5 t. 7 n. 34-138 ; (Citabitur REIFFST.).

SANCHEZ, in Decalogum l. 2 c. 10 n. 20-58.

SCHMALZGRUEBER, Jus canon. l. 5 t. 7 n. 27-61 (citabitur SCHMALZ.).

SUAREZ, De Fide d. 20 s. 2. et de Legibus.

B. *Ex iis qui nostra ætate scribebant, sed ante hanc Constitutionem :*

ARNDT, S. J. De Libris prohibitis Commentarii. Ratisbonæ 1895.

AVANZINI-PENNACCHI, "Constitutio qua Censuræ etc.", tum in compendiosa declaratione C. *Apostolicæ Sedis*, tum in subjectis Appendicibus (citatur AVANZ. PENN.).

BALLERINI-PALMIERI, Opus theologicum tr. 7. s. 4 (ex editione 2ª. Citabitur B. P.)

BUCCERONI, S. J. Instit. Theol, mor. v. 2 in fine, ubi de C. *Apostolicæ Sedis*, et de libris prohibitis (Ex editione 1ª. Citabitur BUCC.).

C. D'ANNIBALE, tum Summula theol. mor. I, 390; III, 141-144 (Ex 3ª edit. citabitur D'ANN.); tum Commentarius Reatinus in C. *Apostolicæ Sedis* n. 27-34, 137 (citabitur ex 1ª edit. Reat.).

Ill. DE BRABANDERE, Juris canonici compendium. (Ex 5ª editione).

GÖPFERT, (professor Wirceburgensis) Moraltheologie. Paderborn. 1897 v. 1, § 48, p. 319-326; v. 2, Vorwort.

HEYMANS, De ecclesiastica librorum aliorumque scriptorum in Belgio prohibitione.

LEHMKUHL, S. J. Theol. moralis (ex editione 8ª).

CL. MARC, C. SS. R. Institutiones mor. Alphonsianæ (ex editione 7ª).

PIAT, Ord. FF. Min. S. Francisci Capuccin. Commentarius in C. *Apostolicæ Sedis*, quem (Append. X) adjecit Principiis Theol. mor. F. PII VAN DER VELDEN, Ord. FF. Min. (ex 2ª editione).

VILLADA S. J. Casus Conscientiæ his præsertim temporibus accommodati. Bruxellis, Vromant. Pars prima. De Liberalismo. Casus V. De Cooperatione in Liberalismo per Ephemerides.

C. *Ex iis qui præsentem Constitutionem sunt interpretati.*

BOUDINHON in *le Canoniste contemporain* 1897, 1898.

DESJARDINS, S. J. in *Etudes religieuses* t. 70 et 71.

DILGSKRON, C. SS. R. De Revisione et approbatione librorum typis describendorum, in *Analecta Ecclesiastica* 1896, 1897. Scribere cœpit ante præsentem Constitutionem, sed sub novo jure perfecit opus.

GÉNICOT, S. J. Theologiæ moralis Institutiones, Lovanii, Polleunis 1896. Quod opus tanto plausu est receptum ut jam altera prodierit editio, ex qua citabitur v. 1, n. 451-460.

Ill. M. GENNARI, *in Monitore ecclesiastico* 1897 (vol. X p. 1).

HOLLWECK, Professor in Eichstätt, Das Kirchliche Bücherverbot. Mainz, Kircheim. Zweite Auflage. (Opusculum VIII et 77 p.)

MOUREAU, in *Revue des Sciences ecclésiastiques* 1897, 8ᵉ série, t. 5 p. 385 sqq.; t. 6 p. 5, 97, 289, 385 sqq.

DOMINICUS PALMIERI S. J. in Compendii GURY-BALLERINI editione 13ª, T. II n. 794-798.

JOS. PENNACCHI, In Constitutionem Apostolicam *Officiorum ac Munerum* brevis Commentatio. Prodiit prius in *Acta S. Sedis*, ex qua publicatione plerumque citabitur, quamvis seorsim sit edita typis *Propagandæ Fidei* (in-4° XXI et 266 p.). Venit autem Romæ apud Desclée-Lefebvre.

PÉRIÈS, L'Index. Paris, Roger et Chernovitz 1898 (in-18 XIX et 261 pp.). Cl. auctor, præter commentarium, consilia subjecit practica de modo ordinandi prævium censuram in diœcesibus.

PLANCHARD, *Revue Théologique française* 1897, et varia de licentiis legendi libros prohibitos p. 21-35, ejusdem anni.

N. B. Laudatæ publicationes periodicæ citabuntur : *Anal. ecc.* (Analecta Ecclesiastica); *A. S. S.* (Acta Sanctæ Sedis); *Etudes* (Etudes religieuses publiées par des Pères de la Compagnie de Jésus); *Monitore* (Monitore Ecclesiastico); *N. R. Th.* (Nouvelle revue théologique); *Rev. sciences eccl.* (Revue des sciences ecclésiastiques); *Rev. th. fr.* (Revue théologique française).

Hanc simul arripimus occasionem, plurimam, tanquam benignissimis adjutoribus, gratiam referendi non paucis viris doctis quibuscum has notas conferre licuit.

3 **III. — Ratio Ordinis.**

Ut, pro scopo nostro, in clariori conspectu ponemus præsens quo utimur jus circa inhibitionem librorum, satius duximus non facere in Leonis XIII Constitutionem commentarios perpetuos, sed proprium seligere ordinem secundum quem disponeremus materiam.

Itaque *in quatuor capita* distribuemus res dicendas.

Primum continebit varias notiones generales, quæ indolem disciplinæ ecclesiasticæ explicent, juvent intellectum quoad cetera posthac dicenda, nec aptum locum invenirent in speciali sectione.

In secundo perpendemus quorum librorum scriptorumve sit improbata lectio, retentio, etc.

Tertium enumerabit dispositiones de prævia censura.

In quarto dabimus sanctiones harum legum, tum quod ad culpam attinet, tum quod ad pœnas canonicas.

Postremo, eodem capite, sermo fiet de facultate legendi et retinendi libros prohibitos.

Ceterum in fine opusculi, tabella quædam, restituto ordine articulorum hujus Constitutionis, indicabit quem quisque locum in hisce Commentariis obtinuerit.

CAPUT PRIMUM.
Notiones Generales.

I. — Ratio seu indoles harum legum. 4

1) Ipsa lege naturali prohibemur, ne legendo, retinendo pravas lucubrationes, fidem nostram aut mores opponamus *proximo periculo*, aliisve *scandalo* simus. 1

Finis prohibitionum.

Sed pro sua sapientia et provida de filiis cura, antiquitus jam, ut probatur ipsa historica, qua exorditur Leo XIII, disquisitione [1], permota fuit Ecclesia, ut notando, prohibendo prava opera, *fidelium indemnitati magis consuleret.* Qui scopus a BENEDICTO XIV indicatus C. *Sollicita et provida* § 10, has permittit conclusiones :

2) Cum prohibetur liber, non tam scriptoris *animus* consideratur, quam judicatur *liber ipse, prout jacet*, perniciosus fidelibus. Quare nec per se nota inuritur scriptori, nec exigit justitia ut rationes suas proponere possit [2]. Si tamen quis catholicus et aliqua fama illustris, opus fecerit quod "demptis demendis in publicum prodire posse dignoscatur", vel poterit per se causam suam tueri, vel ipsi certe unus e consultoribus Sacræ Congregationis constituetur defensor ex officio. Ben. XIV l. c. 2

An scriptor operis reprobandi audiendus.

3) Fundamentum legis est *præsumptio periculi.* Iis vero qui videntur sine animi offensione hæc venena bibere posse, data proportionata utilitate, non negatur opportuna legendi facultas. Nec plerumque, ob hallucinationis periculum, hæc causa legentis arbitrio est permittenda. Quin imo, *communior* certe sententia, negat lege eximi illum cui pro certo hæc lectio futura sit innocua, cum hæc sit cessatio *mere negativa* finis legis. Addas hic, juxta plerosque neque *adæquate* cessare finem, cum in hoc etiam intendatur, ut, suppresso omni favore, libri isti penitus ab Ecclesia removeantur. Quare S. ALPHONSUS [3], severius hic respondet quam ubi quæstionem generalem versat, quid operetur cessatio negativa finis 3

An desinente periculo, cesset lex prohibens.

[1] Cfr. GRETSER, op. cit. l. 1. [2] Cfr. C. BEN. XIV *Sollicita et provida* § 10, et S. ALPH. Append. de libr. prohib. c. 4, n. 24 sq. [3] L. 1, n. 199, et Append. c. 5, n. 1.

legis [1]. Denique cum in Indicem referantur libri certi argumenti, ob neglectam solemnitatem legitimæ petendæ approbationis (v. gr. ex. art. 13 et 20 nostræ Constitutionis), facile de pluribus constare posset eos esse in se innoxios. Num, secundum benigniorem quorumdam opinionem, illos passim legi posse existimabis, et sic enervabis saluberrimam hanc disciplinam? His de causis abjudicandam ducimus solidam probabilitatem a mitiore sententia.

5 II. — Vigentes leges positivæ.

1 *Duabus regimur constitutionibus.*

1) Hodie unice regimur : memorata Constitutione Leonis XIII, et C. Benedicti XIV, *Sollicita et provida* (9 Jul. 1753), quam solam, "abrogatis *Regulis* S. Tridentinæ synodi jussu editis, *Observationibus*, *Instructione*, *Decretis*, *Monitis* [2], et quovis alio decessorum Nostrorum hac de re statuto jussuque", vigere integram voluit Leo XIII (C. *Officiorum* in fine Exordii). Porro hæc Ben. XIV Constitutio respicit ad methodum sequendam in examinandis et proscribendis libris. Quare, pro nostro scopo, minus est consideranda. Cfr. Append. I.

Amplitudo abolitionis juris superioris.

2) De **Amplitudine** autem istius abolitionis, hæc censemus :

2 *Quoad extensionem.*

Extensione sua est maxima. Quam extensionem sic distinctius explicamus. *Salva futura forte exceptione, per Decreta vel Responsa Congregationum inducenda, suppressa est quælibet juris pontificii superioris sanctio, de censurâ vel prohibitione librorum.* Nec refert utrum *distincta* de hoc argumento agatur lex generalis vel specialis, an dispositio de censura vel prohibitione pars sit alterius legis quæ principaliter circa diversam versetur materiam.

---

[1] Cfr. B. P. de Legibus, n. 377; Arndt, n. 185 c, p. 260.

[2] His vocibus, proprio titulo indicantur pleraque statuta generalia, quæ in editionibus Indicis, ipsi catalogo præmittebantur. Sunt nempe : *Regulæ Indicis*, jussu S. C. Tridentini promulgatæ; — *Observationes* Clementis VIII, ad Regulas IV et IX; et Alexandri VII, ad reg. X; — *Instructio* Clementis VIII, pro iis qui libris tum prohibendis, tum expurgandis, tum etiam imprimendis ... operam sunt daturi; — *Decreta* Benedicti XIV, de libris prohibitis nec in Indice nominatim expressis; — *Monita* S. C. Indicis 4 Mart. 1878, 7 Jan. 1836. Omittuntur *Constitutio* Ben. XIV, *Sollicita et provida*, cum vigeat adhuc; *Mandatum* Leonis XII et *Additio novissima* (circa censuras), quæ materialem habent in nova Constitutione confirmationem.

Salva, inquam, exceptione forte futura. Contingit enim ut amplitudo hujusmodi dispositionum, per Declarationes "restrictivas" S. Sedis, non nihil postmodum opportune temperetur. Sic post promulgatam C. *Apostolicæ Sedis*, quæ omnes suppressit superioris juris censuras latæ sententiæ, vigere tamen voluit Declaratio PII IX[1] excommunicationem latam contra Missionarios negociantes.

Hanc conclusionem nostram probamus :

a) Ex verbis quibus in fine Præfationis, S. Pontifex tum *negative* abrogat *quodvis* aliud . . . *hac de re* statutum jussumque; tum *positive* præsentia sua Decreta tanquam *unicum* fontem juris in hac re designat; vult ut *sola* habeant vim legis; ut iis *unice* utatur sacrum Consilium libris notandis.

b) Ex scopo. Id efficere vult S. P. ut "norma agendi *in hoc genere* certa et perspicua omnibus suppetat". Ad hunc finem nihil magis confert quam, veluti in Codice quodam, unica collectas habere Constitutione, omnes de eadem materia leges. Contra, si adeundæ adhuc sunt particulares dispositiones quæ in variis Constitutionibus vagantur et jam parte exsoleverant[2], quis non viderit quot dubiis et quæstionibus effectus ille impediatur?

c) Ex exemplis datis in ipsa Constitutione. Si minus amplam voluisset abrogationem, cur art. 47, 48, S. Pontifex expresse duxisset esse confirmandas excommunicationes latæ sententiæ a Pio IX in recente C. *Apostolicæ Sedis* promulgatas? Illæ enim non tam prohibent aliquid in nostra re, quam sanctiones sunt pœnales vigentis prohibitionis. Cur art. 31, 32, 34, commemorare debuit dispositiones speciales de documentis spectantibus ad causas beatificationum[3]; et Decreta lata a S. C. PROPAGANDÆ FIDEI pro Missionariis?

d) Ex eo quod, si abrogationem circumscribas iis statutis quæ Indici præmittebantur[4], vel etiam aliis quæ *objecto suo* sint generalia, *vix aliquid operatur clausula* "*quodvis* aliud ... *hac de re* statutum jussumque". Conceptis enim verbis sup-

[1] Promulgata per lit. encycl. PROP. FID. 29 Mart. 1873. (*Collectanea P. F.* n. 351, 352).

[2] Sic, qui tenent adhuc vigere sanctiones URBANI VIII de relatione miraculorum, rejicere debent lectorem ad opera BENEDICTI XIV, ut inde exspiscentur textus binarum protestationum quas nullo libro vidimus insertas!

[3] S. R. C. 23 Jul. 1661. [4] Id *videtur* facere Cl. PENNACCHI, n. 34, p. 80.

pressa sunt ea quæ Indicis volumine continebantur. Quænam autem alia *generalia* statuta vigentia designari possunt?

e) Ex auctoritate. Nobiscum sentire videntur DILGSKRON[1], GENNARI[2], HOLLWECK[3], PLANCHARD[4]. Quare v. gr. GENNARI et HOLLWECK comparant effectum nostræ Constitutionis cum effectu simili quem pro censuris l. s. habuit C. *Apostolicæ Sedis*.

Correctionem legis esse odiosam, ut objicit J. V[5], quid obstat? Num exinde prohibemur intelligere verba juxta sensum proprium, et ut postulat finis legis?

3 *Quoad vim intrinsecam.*

Intensione autem sua seu virtute intrinseca, est fortissima. Vult S. Pontifex ut ex hac sua promulgatione *unice* vim suam sortiantur etiam eæ dispositiones quæ *materialiter* sonant ut antiquæ. Non ita fecerat PIUS IX in C. *Apostolicæ Sedis*[6], sed confirmavit jus antiquum in partibus quæ conveniebant cum sua Constitutione, ita ut etiam ex veterum canonum auctoritate vim suam acciperent. Quare, dum in Pii IX Constitutione declaranda, *statim* ad anteriorem jurisprudentiam erat respiciendum, hic contra, ex ipsa nostra Constitutione, ut ait PENNACCHI[7], i. e. ex contexta oratione, ex fine emolliendi jus quem profitetur Legislator, quantum fieri potest quæstiones sunt solvendæ, et sensus definiendus. Deficiente tantum hoc criterio, seu *remote et secundario*, ad superioris ætatis intelligentiam utilissime provocatur. Hoc enim casu, mens S. Pontificis fit dubia, et locus est principio de concordando novo jure cum antiquo. Cfr. de his principiis epist. *Redditæ Nobis*, § 9-13, quam 5 Dec. 1744, ut privatus Doctor, scripsit BEN. XIV.

An plane inutilia suppressa Decreta.

4 *Num suppressæ consuetudines.*

3) Nulla tamen clausula abrogat *particulares* locorum *consuetudines* si fuerint legitimæ. Per generalem enim legem non tolluntur, "nisi expresse caveatur in ipsa"[8]. In nostra autem Constitutione, nulla clausula, ne generice quidem, eas commemorat, dum C. *Apostolicæ Sedis* amplissimas continet earum revocationes. Nec finis nostræ legis hanc postulat severitatem. Agimus enim de quibusdam temperamentis secundariis, quæ invaluerant etiam in his locis ubi indubie

[1] *Anal. eccl.* 1897, p. 129, 130, 226. — [2] *Monit. eccl.* l. c. p. 13, 14. — [3] Op. cit. p. 16. — [4] *Rev. th. fr.* l. c. n. 4-7. — [5] *N. R. Th.* T. 30, p. 109. — [6] Cfr. initium istius Constitutionis.

[7] *A. S. S.* l. c. n. 34, p. 80. Paulo aliter GENNARI in *Monit.* l. c. p. 14.

[8] C. *Licet* 1 De Const. 6°. Cfr. REIFFST, I, 4; vel I, 2, n. 498, 499; LAYMANN, Jus canon. in l. 1, t. 2, c. 1 in 6° n. 12.

vigebant leges Indicis, et quæ componi possunt cum generali obtemperatione nostræ Constitutioni. Hæc si legitime præscripta fuerint, censemus adhuc retineri posse. Nostram probando sententiam, periodicum *Archiv für kathol. Kirchenrecht* [1] affert exemplum optionis quam usus in Germania permittit auctoribus, ut vel a proprio Episcopo, vel ab Episcopo loci editionis petere queant libri approbationem. Aliud conferas infra n. Nobiscum GÉNICOT [2].

15 2 21 1

Quæ consuetudo possit esse legitima.

Consuetudo autem *plane* posthabendi prohibitiones istas quæ tantopere conferunt ad tutanda fidem et mores, pluribus videtur non posse esse rationabilis. Ita FESSLER [3]. Quam rationem esse efficacem negat GOPFERT [4], cum huc solum tenderet hæc consuetudo, ut illi, qui sine detrimento legerent scripta reprobanda, non committerent contra leges ecclesiasticas peccatum cujus secus frequentissimus foret casus.

Hæc sententia erit magis quam prior accepta in quibusdam regionibus, v. g. in Anglia. Et reapse, nonne prudentis confessarii consiliis vitare possunt fideles nimium hallucinationis periculum, propter quod consuetudo ista videretur irrationabilis?

Sed, quod certum est, *exemptio generalis* a legibus Indicis, etiam consuetudine innixa, stare nequit cum manifesta intentione Legislatoris, qua jubet ut his decretis "catholici homines toto orbe religiose pareant". Attamen num filiorum suorum infirmitati denegabit patientem tolerantiam, et omnem conniventiam? Cfr. infra n.

8

5

Quemvalorem servet reformandus catalogus Indicis.

4 Jubet nostra C. ut diligentissime recognoscatur Index librorum improbatæ lectionis. Donec autem is novus Catalogus vulgatus fuerit, num viget antiquus?

Recens Constitutio abrogat leges de censura et prohibitione; mere promittit novum catalogum [5]. Antiquus ergo per se viget. Si tamen *constet* quosdam libros nullatenus ob pravam vel suspectam doctrinam esse in Indicem relatos, sed mere ob causam quæ in præsente Jure non obtinet : eos, nostra sententia, pro demptis e catalogo habere possis. Id enim consentaneum existimamus rationabili voluntati Le-

[1] T. 78, p. 187. — [2] l. c. I. n. 455. — [3] Citatus ab ARNDT, op. cit. n. 90, p. 104. — [4] Op. c. p. 322.

[5] Caveas ne pro catalogo novo sumas novam veteris Indicis editionem. Ita v. gr. recens prodiit Taurini, pro anno 1899, apud Marietti, "Index librorum prohibitorum Leonis XIII jussu editus" qui mere refert præstinum Indicem 1888 cum appendice ad annum 1898.

N. 5 4, 5.

gislatoris. Ratio est, quia Index ad vigentia Decreta est aptandus. Nobiscum GÉNICOT [1] et PERIÈS [2], contra MOUREAU [3], qui severius omnem rejicit exceptionem.

Quare manent prohibiti, libri qui ob hæresis propugnationem, pravam aut suspectam doctrinam, etc. in Indicem fuerunt relati; non autem opera indifferentis argumenti, quæ nullatenus fidem aut mores offendunt, sed auctoris sunt in Indice notati ut pertinentis ad 1^am^ classem Indicis Tridentini [4]; neque illa quæ in Indice ascripta quia versabant argumentum hodie non jam vetitum : puta quia de auxiliis agebant, quia litanias, officia S. Cordis ab Ordinariis tantum, non autem a S. Rituum C. approbata continebant.

6

III. — Scopus Constitutionis.

Scopus attendendus in interpretatione. An exinde in omnibus benignior habenda.

Scopus porro novæ Constitutionis fuit, sanctiones de libris magis ad præsentia tempora accommodare, regulasque, " incolumi earum natura, *efficere aliquanto molliores* " [5]. *Per se* ergo benigniora statuit hæc Constitutio, ac, ne fine suo frustretur, hujus indolis est interpreti ratio habenda [6]. Hoc tamen non impedit quin *per accidens*, (ut exemplo constat Constitutionis *Apostolicæ Sedis*), augeat in quibusdam rigorem.

7

IV. — Qua utendum interpretatione, utrum lata, an stricta.

Stricte accipienda pœnæ et prohibitiones.

Strictæ interpretationis sunt tum *pœnæ* quas edicit, tum ipsæ hujus Constitutionis *prohibitiones.*

Quod ne perperam intelligatur, ambo hæc imprimis observamus.

1 *a*) De sola agimus prohibitione *positiva*; qua sublata restant obligationes prudentiæ naturalis. Præterea, si neque

---

[1] Op. c. I, 451. — [2] Op. cit. p. 51. — [3] *Rev. Sciences eccl.* t. 6, p. 18 nota.

[4] Index enim Tridentinus, qui Romæ prodiit 24 Martii 1564, sub singulis fere literis alphabeticæ suæ dispositionis, tres classes distinguebat proscriptionum. In 1^a^ non tam libri notabantur, quam scriptores hæretici aut de hæresi suspecti. Cfr. v. gr. Indicem v. MAROT. Ab anno 1603 nemo jam in hac classe formaliter repositus est (ARNDT, n. 71, not. p. 75); 5^a^ autem Mart. 1664, Bulla *Speculatores* ALEXANDRI VII abolevit hunc morem classes distinguendi.

[5] Exordium. — [6] Cfr. in hunc sensum PENN. *A. S. S.* l. c. n. 34, p. 80.

licitum est neque expediens plus justo augere vim obligationum, *consilia* tamen nostra hoc eniti debent, ut quantum fieri potest, spiritualis ruinæ summoveant pericula. Quare cum de consiliis agitur dandis, plane astipulamur S. ALPHONSO [1] scribenti : " In hac re expedit ordinarie rigidiores opiniones sequi."

b) Constitutionem consideramus et interpretamur ut lata est, id est *in ordine ad universam Ecclesiam*. Si vero optima cujuspiam diœcesis adjuncta ferre possint et postulare videantur severiores sanctiones, in promptu est remedium, cujus usus non semel a S. Sede est commendatus : nempe facultas facta Episcopo supplendi per leges peculiares id quod in Lege generali pro sua diœcesi desideretur. Sed privatis non ideo licet ad arbitrariam confugere communis legis interpretationem.

His positis, solutio nostra maxime innititur adjunctis in quibus Constitutio hæc est lata. Quorum summa hæc est : in immensum aucta omnia legendi cupiditas; valde deminuta auctoritatis existimatio et animorum docilitas; privatio pro Ecclesia omnis præsidii secularis potestatis; in societatibus nostris mixtis quotidianum cum hominibus omnis opinionis et religionis commercium; quotidiana vulgatio librorum et scriptorum, quæ per se nota censoria forent digna, et simul tamen multis utilem, ne dicam necessariam, ob alia merita præbent lectionem; innumeræ inde rationes tum prætextæ tum veræ hujusmodi scripta tenendi et legendi; et plus quam semel declarata necessitas juris benignioris. In præfatione sua, LEO XIII pro sua prudentia, agnoscit æqua postulasse tum Galliæ tum Germaniæ Episcopos qui gravibus verbis in hunc sensum institerunt, denunciando scrupulos, anxietates, gravissimas tentationes violandi legem quibus catholicorum conscientiæ plus æquo gravabantur [2]. Addas denique a regulis Indicis non unam regionem se profiteri immunem, et in votis esse S. Pontificis ut instauraretur universalis observatio harum sanctionum. Ista perpendenti, facile, ni fallimur, hæc constabunt : 2

a) Strictam prohibitionum interpretationem postulat *bonum commune*, ne, ex propensione animorum exuendi

[1] Append. c. 5, n. 8. — [2] Cfr. textus in Collectione *Lacensi*, T. 7, p. 843, vel apud PÉRIÈS, p. 46, 47, vel PENNACCHI, *A. S. S.* l. c. n. 29, 30 p. 78, 79.

hujusmodi jugum, nimia foret tentatio legem violandi, atque ita nimis multis fieret peccandi occasio; ne "imperfecti hujusmodi præcepta ferre non valentes, in deteriora mala prorumperent [1]." Bonum autem commune, ut est condendæ legis, ita et interpretandæ suprema norma.

b) Strictam postulat *votum et jussum S. Pontificis* cupientis ut istis sanctionibus "catholici homines toto orbe religiose pareant." Huic fini non valde proderunt rigidæ expositiones istius legis.

c) Si velimus confugere ad axiomata : "omnis *lex odiosa*, stricte interpretanda est [2]." Odiosa autem intelligitur, quæ infert onus, gravamen [3]. Hujusmodi esse præsentem legem, præsertim si ad adjuncta respicias, quis dubitare possit? Et jam sufficit quod, cum prohibitiones longe excurrant ultra fines naturalis prohibitionis, directe restringit naturalem libertatem [4].

d) Strictam prohibitionum interpretationem postulat *indoles præsentis Constitutionis*. Imitatur summus Pontifex hac sua lege, "maternum Ecclesiæ studium : quæ quidem nihil tam expetit quam se impertire benignam, sanandosque ex se natos ita semper curavit, curat, ut eorum infirmitati amanter studioseque parcat." Vult ut istis legibus "obtemperare, dummodo quis ingenio malo non sit, grave arduumque esse non possit." Probe gnarus tamen difficilium adjunctorum, postulantibus Angliæ Episcopis statim tribuit amplissimam
8 potestatem de qua n. His parum respondet ampla acceptio prohibitionum. Adhibeas v. gr. hanc methodum explicando art. 11, § 1 [5]. Nonne videris statim te nimio rigore abripi?

e) *Una cum prohibitionibus*, hæc Constitutio *continet pœnas*. Has fatentur omnes strictæ esse interpretationis. Sed si late intelligas prohibitiones, accidet ut diverso sensu accipias easdem voces in delicto quam in ejus sanctione! Insuper si ob favorem fidei late interpretari debemus prohibitiones, nonne ex eadem causa cogi videbimur ad stricte accipiendas licentias vel facultates legendi, et articulos qui quosdam libros pro non prohibitis habent [6]? Hæc quam mira sint et repugnent praxi receptæ, nemo non videbit.

[1] S. Th. 1ª 2æ q. 96 art. 2 ad 2. Cfr. et corpus articuli. — [2] Reiffenst., I, 2, 427; et cfr. Reg. 15 Juris in 6°. — [3] B. P. Tr. 3, n. 381. — [4] Lehmkuhl, I, 1073, 4; Van Gestel, de Justitia in Lege civ. p. 185. — [5] Cfr. n. 13. — [6] v. gr. art. 4.

f) Denique *non destituimur patronis*. Stricte enim interpretandas esse præsentis Constitutionis prohibitiones, diserte docent GENICOT [1]; HOLLWECK [2]; PÉRIÈS [3]; PENNACCHI [4]; PALMIERI [5]. Ejusdem sententiæ est *Archiv* [6]. Et ex modo quo necessitatem mitigationis exponit DILGSKRON [7], videtur eadem mente loqui; ita ut, quod sciamus, ex iis qui commentati sunt præsentem Constitutionem, solus PLANCHARD [8] videatur adhuc diserte retinere principium contrarium, licet illi in praxi quandoque deroget. (Cfr. v. g. acceptionem quam voci *religionis* tribuit.)

Jam antea, ut probat ejus interpretatio, non aliter has leges intelligebat C. D'ANNIBALE [9]. Ejusdem se esse sententiæ, præter plures alios, profitetur eximius professor Juris canonici in hac alma Universitate RR. DD. DE BECKER; atque *omnino* in hac re nobiscum consentire scripsit nobis R. P. LEHMKUHL.

g) Frustra autem appellatur auctoritas SUAREZ [10], tum quia adjuncta sunt plane mutata; tum quia nimis probaret argumentum. Loco enim citato, interpretatur *censuram* latam in Bulla Cœnæ contra legentes libros hæreticorum etc.; et hanc excommunicationem autumat late accipiendam ob favorem fidei : quæ sententia plane est derelicta. 3

Parum autem ad rem citat J. V [11]. SUAREZ *de Leg.* l. 5, c. 2 n. 6. Is enim immediate superius dicit se respicere ad "legem prohibentem aliquid *per se* malum, vel præcipientem aliquid honestum, non nimis grave aut onerosum, sed moderatum *et communi modo vivendi hominum consentaneum*," ita ut legem dicere possit *mere* favorabilem. Ut tales, præsertim hodie, considerari nequeunt sanctiones istæ prohibitivæ.

Si vero cum C. V. C. [12], quem sequitur J. V., objicias scopum *directum*, *primarium*, et *principalem* legis esse servandam incolumitatem fidei morumque : vel intelligitur finis

[1] op. cit. I, 451. — [2] op. cit. p. 20, v. — [3] op. cit. p. 55. — [4] *A. S. S.* l. c. n. 34, 38, 49 et passim. — [5] op. cit. n. 794. — [6] T. 78. p. 187. — [7] *Analecta eccl.* 1897, p. 130. — [8] *Rev. th. fr.* n. 13. — [9] III, 141-143.

[10] *De Fide* d. 20 s. 2 n. 10. Jam SCHMALZ., l. 5 t. 7 n. 55, responderat, si teneret ratio SUAREZII, etiam favorabilem fore legem pœnalem "quâ homicidæ et latrones puniuntur, cum et ipsa ad bonum reipublicæ et defensionem innocentium ordinetur". Optime etiam idem ostendit CASTROPALAUS, Tr. 4 d. 20 Punct. 10 § 1 n. 3.

[11] *N. R. Th.* t. 30, p. 110. — [12] *Collat. Brug.* t. 2, p. 550.

N. 7 2, 3.

intrinsecus, et tunc negatur assertum : finis enim operis est *prohibitio*; vel finis *extrinsecus*, et tunc pleræque prohibitiones, et ipsæ censuræ erunt latæ interpretationis. Prohibendo enim, legislator, præsertim ecclesiasticus, primario et principaliter non intendit prohibitionem, sed causam boni communis quæ plerumque pertinet ad fidem vel mores. Et censura, ut pœna spiritualis, *proxime* et *principaliter* spectat ad bonum delinquentis [1] ; in casu ad tutelam ejus fidei et morum. Retineamus ergo, ex ipso SUAREZ [2], quod non tam ex fine etiam proximo quam ex materia sua intrinseca lex æstimanda sit odiosa vel favorabilis.

h) Hæc est conclusio quam efferimus ut agentes partes *canonistæ*. *Theologus* autem nullus, nisi velit esse tutiorista, negare potest *practicam liceitatem* sententiæ quæ his argumentis et auctoritatibus stipatur.

Quam liceitatem merito etiam vindicamus variis corollariis quæ in exponenda Constitutione logice eruimus ex hocce nostro principio.

8 V. — Universalem vim quousque obtineat hæc Constitutio.

1 *Per se obligat ubique gentium.*

Vis universalis harum sanctionum (præter quasdam forte mitigationes peculiari eaque rationabili consuetudine inductas) [3] jam ambigi nequit ; et controversia, si quæ supererat, penitus hac Constitutione sublata est. Sic enim perhibet in præfatione : " quibusque (Decretis generalibus) catholici homines *toto orbe* religiose pareant " ; et art. 45 : " Libri ab Ap^ca Sede damnati, *ubique gentium* prohibiti habeantur ". Id confirmatur per HOLLWECK [4], PLANCHARD [5], GÉNICOT [6].

Ejusdem sententiæ fuit S. INDICIS Congregatio, quum 19-23 Maii 1898 respondit *affirmative* ad quæsitum : " utrum dicta Constitutio vim obligatoriam habeat etiam pro regionibus britannici idiomatis, quas tacita dispensatione frui quidam arbitrantur."

Scribit tamen PENNACCHI [7] " non esse nationum illarum

[1] SCHMALZ. 5, 39, 5; B. P. T. 7. De Cens. n. 4. — [2] *De Legibus* l. 5, c. 2, n. 5. — [3] Cfr. AICHNER, edit. 1890 p. 146. — [4] Op. cit. p. 17. — [5] *Rev. th. fr.* l. c. n. 9, 10. — [6] Op. cit. I, n. 455. — [7] *A. S. S.* l. c. n. 33 p. 79, 80.

homines inquietandos, qui adhuc defendere velint inductam apud se consuetudinem de exemptione ab Indicis legibus." Subjectiva utique bonæ fidei excusatio fundare potest prudentem dissimulationem [1]; hæc tamen non tollit actualem obligandi omnes efficaciam, quam per se possidet lex præsens. Ut ergo plurimi necessaria sollicitudine liberentur, et ipsi Episcopi immunes sint obligatione qua tenentur novas leges pontificias per suas diœceses promulgandi atque in usum deducendi, non aliam videmus suppetere viam securam, nisi illam quam cl. PENNACCHI [2] vocat consultissimam : recursum nempe ad S. Sedem.

2 *Quid nunc in Anglia.*

Hanc viam inierunt Episcopi Angliæ. Quid obtinuerint, conjicere licet ex sequenti articulo ephemeridis *The Tablet* 18 Dec. 1897. Quem quia, considerata ephemeride et tenore articuli, fontem non mere privatum prodit, sed indolem habet communicationis quam gallice dixeris "*officieuse*," latine hic reddendum ducimus :

"Superiore mense Januario, promulgavit S. Sedes Constitutionem, quæ valde immutat et planiores facit Indicis sanctiones. Hujusmodi Constitutio, suapte natura, directa est ad Ecclesiam universalem ; et quando prodiit in catholicis hujus regionis publicationibus, necessario, ut facile exspectandum erat, apud utrumque clerum et laïcos excitavit quæstionem : utrum necne novæ istius Constitutionis intentio foret abolendi hucusque inter nos vigentem "*statum quo*." Em. Cardinalis Archiepiscopus, et Angliæ Episcopi postulationem de ista materia miserunt Romam, et statim receperunt a Propaganda "amplissimas" facultates ad dispensandum; ita ut, "propter peculiaria regionis adjuncta" plene possent "pro sua prudentia et consilio temperare rigorem legis sicut casus id requirere posset." Romanum rescriptum fuit ergo tam promptum ac liberale quam id optare poteramus. Continet authenticam agnitionem specialium adjunctorum quæ commemoravimus, et his congruenter instruit locales ecclesiasticas auctoritates plenissimis facultatibus providendi omni necessitati nostrarum conditionum. Practice, possessæ istæ facultates substantialiter intactum sinunt esse

[1] Conferas Instr. S. OFFICII 1 Feb. 1871 de monitione facienda iis qui commisissent censuras C. *Apostolicæ Sedis*. Est in *collectanea Prop. Fidei* n. 1003, et recitatur a PLANCHARD l. c. n. 10. *A. S. S.* l. c. n. 33 p. 80.

"*statum quo*", dum ipsi Constitutioni hoc alterum inest commodum temperandi legem pro universa Ecclesia" [1].

9

VI. — Quid Liber, Libellus, Scriptum.

1

A) *Quid Liber. Requiritur certa moles. An ephemerides, folia, opuscula?*

A. **Quid Liber?** Ex vulgari acceptione, hac voce volumen designatur :

1) *Certæ molis* et *certæ unitatis*. Certæ molis, inquam. Quare non intelliguntur *ephemerides* etiam ampliores [2], *folia* (imprimés) [3], et exigua opuscula, quæ "magis quo alio nomine veluti *elegiæ*, *epistolæ*, *orationis* quam librorum nuncupari solent [4]." Multi, post SCHMALZ [5] pro libro requirunt 10 folia. Non negata *materiali* veritate quam hæc regula plerumque habere potest, formalem rationis solutionis potius ex usu communi, cum LUGO [6] repetendam ducimus.

Adversarios nonnullos habemus, qui vel cum B. P. [7], ex eo arguunt, quod in Decretis de libris, a Legislatore sermo fieret de carminibus, imaginibus etc.; vel cum PIAT [8], idem inferunt e quibusdam verbis allocutionis PII IX. Sed verba PII IX secundum VILLADA [9] referenda videntur "ad unde-

---

[1] "In January last, the Holy See published a Constitution which in a considerable measure modified and simplified the provisions of the Index. Such a Constitution was naturally issued to the Church at large, and when it appeared in the Catholic press of this country it necessarily, as we might expect, elicited from both clergy and laity the question whether this new constitution was or was not intended to supplant the *status quo* which had hitherto existed amongst us. The Cardinal Archbishop and Bishops of England addressed an inquiry to Rome upon the subject, and at once received from the Propaganda the "most ample" faculties for dispensation, so that owing to "the special circumstances of the country", they should be fully empowered "to modify the rigour of the law by their prudence and counsel according as the case might demand". Rome's reply was thus as ready and as liberal as we could well desire. It contained an official recognition of our special circumstances to which we have referred, and it responded to it by investing the local ecclesiastical authorities with the fullest faculties to meet every need of our position. The possession of such faculties practically leaves the *status quo* substantially untouched, while the Constitution itself has the additional benefit of modifying the law for the universal Church".

[2] AVANZ. op. cit. Append. 3. — [3] PLANCHARD, *Rev. th. fr.* l. c. n. 14.

[4] D'ANN. op. cit. III, 141; PENN. *A. S. S.* l. c. n. 38, p. 163; GEN. op. cit. 454, contra PLANCHARD l. c. 13, 14, sed is dubius hæret.

[5] L. 5, t. 7. n. 55. — [6] *De Fide* d. 21, n. 38.

[7] Tr. 7, s. 4, n. 12, 13. — [8] Op. cit. p. 619. — [9] op. et l. c. n. 11.

cim ephemerides, quas expresso nomine idem S. Pontifex prohibuerat pro diœcesi romana per suum Vicarium, 30 Jun. 1871". Et responso S. Off. 27 April. 1880, negante incurri excommunicationem a legente "ephemerides propugnantes hæresim [1]," valde confirmatur [2] nostra sententia. Accedit nunc argumentum ex præsenti Constitutione, quæ in capite distincto, octavo nempe, agit de diariis, foliis et libellis periodicis; et a libris discernit in art. 13° scripta; libellos vero et folia in art. 17 et 20.

2) *Certæ unitatis.* Quare libri non sunt minores libelli, *casu* simul ligati.[3] Si vero ab initio in unum volumen componendum destinentur, quod sic per partes edatur, pro libro habendum est volumen totum sic compositum, imo singulæ partes, etiam seorsum sumptæ quæ libri molem attingunt.

Certa unitas.

2 *An libelli casu unovolumine contenti.*

De publicationibus periodicis, S. Off. 13 Jan. 1892 (contra ac 1880 de ephemeridibus dixerat), declaravit committi censuram latam contra "legentes libros hæreticorum, etc." ab iis qui scienter legerent publicationes periodicas in *fasciculos* ligatas, habentes auctorem hæreticum, et hæresim propugnantes.

3 *An publicationes periodicæ.*

Hujusmodi ergo publicationes, saltem tota v. gr. anni series, pro libris sunt habendæ.

Num idem tenet de *singulis fasciculis*, quando, quod plane requiritur, ejus sunt amplitudinis quæ libro conveniat?

Sat obvia ratio videtur suadere hanc interpretationem.

---

[1] *A. S. S.* t. 20 p. 368.

[2] Merito inde arguimus, (contra atque opinatur C. V. C. l. c.), cum probaverimus etiam prohibitiones esse stricte accipiendas. Addas mirum fore si eamdem vocem *liori*, aliter accipias in prohibitione quam in censura quæ est ejus sanctio, et nunc, ut observat Planchard l. c. 14, pars est ejusdem legis. Num ita antiqui?

[3] Ob eamdem rationem censemus *ephemerides* non esse inter libros reponendas, etiamsi in unum tomum cogantur. Nescimus qua veritate plures Gennari l. c. p. 155; Hollweck l. c. p. 26) in contrarium afferant responsum S. Officii infra in textu allegatum, ex quo incurrunt excommunicationem scienter legentium certos *libros* apostatarum, hæreticorum etc. qui eorumdem legant publicationes periodicas "*in fasciculos ligatas*". Sensu enim obvio, cum non soleamus *fasciculi* nomine designare magnum volumen quod efficiunt simul colligatæ ephemerides, orator qui in proponendo dubio hanc dictionem usurpavit, non cogitasse videtur de diariis, sed describere voluit illas publicationes, quæ, ut explicat Lehmk. II, 923, "periodice compactis fasciculis eduntur" (qui paraissent en fascicules,; alias "*les revues*" "*le riviste*". Nec aliter rem intellexisse videtur Arndt, p. 217.

Ejusdem enim indolis sunt tota series et singuli fasciculi. Cur, statim ac sufficientis sunt molis, separes eorum causam? Communem potius hanc tradas rationem affirmandi, quod in hujusmodi publicationibus non desideretur *unitas* necessaria ad librum efficiendum. Argumenta enim quæ versant, solent esse affinia et ad unum dirigi finem.

Si tamen aliter explices S. Officii decretum, et existimes S. Officium ita respondisse, quia soleant istæ publicationes continere articulos qui nec tenore nec tractu differant a libris, non repugnamus isti interpretationi. Tunc singuli fasciculi plerumque erunt virtualiter plures libri : tot nempe quot continebunt articulos hujus amplitudinis ; et fieri etiam poterit ut aliquis fasciculus non sit liber : ut si nullam sat magnam exhibeat lucubrationem vel lucubrationis partem. Ad has partes inclinat VILLADA, op. cit. n. 12.

4 N. B. *An Kalendaria.*

N. B. *a*) Ipsa figura exteriore, libri rationem non videtur nobis habere *kalendarium*, cujus folia singulis diebus sint decerpenda (*Calendrier à effeuiller*) et quod proin potius ephemeridis est simile. Secus autem si constantis voluminis habuerit indolem.

5 *Folia, a libro separata. An collectio imaginum.*

b) Nec libri nomine veniunt pauca numero *folia* a libro *separata* [1] Contra PIAT [2] multas afferentem auctoritates.

c) Nec liber censetur *collectio imaginum*. Hac ergo Constitutione, imagines obscenæ vel impiæ non attinguntur positiva prohibitione [3].

6 *An manuscripta.*

3) Utrum necesse insuper sit, ut *typis* imprimatur, an opus *manuscriptum* hoc veniat nomine, non plane constat. Plerique affirmant, quod libri vox arte typographica sit antiquior, et ratio legis seu infectionis periculum etiam hic obtineat. Quod præplacet S. ALPH.[4], ARNDT[5], B. P.[6]. Alii tamen, quibus *stricte* interpretandæ videntur hujusmodi leges, non improbabiliter observant, *nostris diebus*, usu vulgari libros a manuscriptis distingui, minusque circa hæc urgentem esse legis rationem, cum difficilius diffundantur. Id sustinent d'ANNIBALE [7], AVANZINI [8], BUCCERONI [9]; GÖPFERT vero [10],

[1] SCHMALZGR. 5, 7, 33; BUCCERONI, p. 339; in 2ª edit. p. 368. — [2] Op. cit., p. 620. - [3] PENNACCHI *A. S. S.* l. c. n. 40 p. 173; HOLLWECK op. cit. p. 32. — [4] l. 7 n. 293. [5] n. 101, p. 118-121; — [6] L. c. n. 13 (cfr. apud PIAT l. c. p. 618 not. 1 multos tum superioris tum præsentis ætatis idem tenentes.)

[7] III. 141. — [8] op. cit. T. 1 app. 3 p. 134, 135. — [9] II, p. 339 n. 4. — [10] op. cit. p. 323.

idem dicit probabile. Et post editam Constitutionem, ejusdem sententiæ sunt GENNARI [1], PLANCHARD [2], GÉNICOT [3], HOLLWECK [4] qui optimam hanc subjungit rationem, tam rarum esse hodie usum operis manuscripti, ut de eo teneat illud : "quod minimum est, non considerat legislator". Idem nunc tenet PALMIERI in Gury II. 794.

7 *An codices lithographice exarati, aut typis impressi.*

4) Præterea, saltem quod attinet ad necessitatem præviantis censuræ, non respiciuntur libri nisi quatenus *vulgantur*. Unde *lithographice* exarata opera, quæ, ut auditores' compendium faciant scribendi, adornare solent professores, nec publici sunt juris, huic censuræ non sunt obnoxia [5]. Quod ipso romano usu novimus comprobatum. Idem putamus dicendum de tractatibus, qui, *eadem ratione*, etiam typis imprimuntur. Germanice dicunt; "Als Manuskript gedrükt". Et rursus hic confirmamur praxi, quæ est optima legum interpres.

8 B) *Quid Libellus.*

B. **Libellus** designat opus minoris molis, quod ad justam libri quantitatem non attingit, aliquot tamen paginis componitur. Ita etiam PENNACCHI op. cit. n. 58 p. 342.

9 C) *Quid scriptum.*

C. **Scriptum** est vox generalissima, apta ad designandam omnis molis ac formæ compositionem. Quare etiam singuli numeri alicujus diarii, sunt *scriptum* quodpiam. Cfr. PENNACCHI op. cit. n. 51 p. 289, n. 59 p. 344.

An generali istius vocabuli ambitu designentur etiam folia quæ *typis* non sunt edita? Nonnulli id negant [6]. Aliorum tamen [7] opinio affirmans magis congruit *vi vocis*, et confirmatur decreto S. OFFICII [8] quod, prohibendo *scripta* quæcumque (*modo propagarentur*) de recens inventa nova devotione, subjunxit "parvi referre num typis edita fuerint". Plerumque autem non vulgabuntur nisi scripta typis impressa.

VII. - Extensio prohibitionis quoad objectum et quoad tempus. 10

1 A) *Quoad objectum.*

A. **Quoad objectum** 1) Prohibito libro, prohibetur *totus*, et non sola pars quæ ansam dedit proscriptionis. Separata tamen hac parte (si de hac constet), eam excidendo, occlu-

[1] l. c. p. 132. — [2] *Rev. th. fr.* l. c. n. 12.
[3] I, 454. — [4] op. cit. p. 24. — [5] GÉNICOT, op. cit. I, 454.
[6] GÉNICOT l. c. — [7] HOLLWECK l. c. — [8] 6 Febr. 1896. Cfr. Decretum INDICIS 19 April. 1896, *A. S. S.* T. 28 p. 640.

An totus *liber. Quid si demas partem improbandam.*

dendo, vel obliterando, probabiliter cessat prohibitio [1], nisi in odium auctoris fuerit proscriptus.

2

An singuli tomi.

2) Si opus *pluribus* componatur *tomis*, et constet in uno tantum reperiri causam prohibitionis, SANCHEZ [2] negat alios prohiberi, quia videantur esse plures libri. SUAREZ [3] illud non admittit nisi sint diversi argumenti. Communiter tenent doctrinam LUGO [4], qui quæstionem ex hoc dirimit, utrum necne argumentum recipiat divisionem. Sic v. gr. in historia universali, volumen narrans historiam antiquam ita a volumine destinato descriptioni medii ævi discernitur, ut quasi plura sint opera.

In utroque tamen casu, si auferas tomum in quo error continetur, separas partem quæ ansam dedit proscriptionis; et proin, nisi negare velis sententiam modo hic nº 1) recitatam, probabiliter quoad ceteros cessat prohibitio.

3

Quomodo permittatur nova editio.

3) Prohibetur *nova*, etiam emendata, ejusdem libri *editio*, nisi facultate facta a S. INDICIS Congregatione (art. 31). — Quod tenet etiam si errores notis refellas, aut si non absolute, sed addita mentione "*donec corrigatur*" fuerit proscriptus. Excipe tamen libros auctorum quos *classicos* vocant, et qui res lascivas ex professo tractant aut docent. Isti enim, bene expurgati, tradi permittuntur pueris (art. 10). Proprie tamen hæc non est exceptio. Libri enim, quos vetat art. 31 ne iterum in lucem edantur quia proscripti sint a S. Sede, ii tantum videntur esse qui speciali Indicis decreto, non vero generali regula prohibeantur. Ita GENNARI, PALMIERI in hunc articulum.

4

Quid de miscellaneis literariis quæ loca ex libris prohibitis excerpunt.

4) Quid de *miscellaneis* literariis, "*chrestomathies*", quæ loca referunt ex operibus damnatis? Considerari possunt vel ut novus aliquis liber, compositus ex variis aliorum operibus, vel formaliter ut referentes loca aliorum operum.

Ex priore capite, propria ipsorum indoles est perpendenda, et ipsis ut cuivis alii operi applicanda sunt Decreta

[1] S. ALPH. l. 7 n. 283; d'ANN. III, 141; B. P. op. cit. n. 14. Minime obstat, contra atque asserit PIAT *N. R. Th.* t. 30 p. 58, responsio S. OFF. 26 Jul. 1848 (*Collect. Prop. Fidei* n. 1883). Agitur enim ibi de translationibus Novi Testamenti, quæ jam ideo proscriptæ erant quod factæ essent ab acatholicis. Hoc vitium non aufertur demptis erroribus.

[2] *In Decalogum*, L. II, c. 10 n. 36.

[3] *De Fide* d. 20 s. 2 n. 9.

[4] *De Fide* d. 21 n. 62.

generalia. Poterunt enim ex professo adversari fidei, moribus etc. Ex altero autem capite, si moraliter idem aliquod opus proscriptum videantur exhibere, hujus participabunt proscriptionem. Si vero, ut plerumque fit, damnati libri paucas numero continent paginas, non ideo jam prohibentur ipsa miscellanea. Solutio confirmatur ipsa praxi.

5) Damnatum opus prohibetur etiam in *quodcumque vertatur idioma*. (art. 45.) Ita confirmatur quod jam statuerat CLEMENS VIII. in Instr. de prohib. libr. § 6.

5 *Quid de versionibus.*

B. **Quoad tempus.** Per se materia legis non est actus præteritus[1]. Quare dispositiones quæ certos libros prohibent *ob omissam quandam solemnitatem*, v. gr. petendæ approbationis quæ auctori præscribitur servanda, non afficiunt nisi libros qui edantur vigente hac Constitutione. Excipe si jam simili superioris juris prohibitioni erant obnoxii. Cfr. HOLLWECK, op. cit. p. 16, 17.

6 B. *Quoad tempus. An prohibitio attingat libros lege prohibenti anteriores.*

Prohibitio vero quæ non consequitur ad neglectam solemnitatem, sed *intrinseca nititur ratione*, afficit etiam libros hac Constitutione anteriores. Hic enim nullum est præceptum impositum auctori, cujus possit ignorantia allegari. Suo autem quisque periculo edit opus, nec impedire valet Ecclesiam quin speciali vel generali Decreto incolumitati fidelium prospiciat.

VIII. Vis seu significatio prohibitionis. II

Prohibitio potest esse *absoluta*, seu sine addito; vel esse *circumscripta* objecto, modo.

A. **De prohibitione absolute facta.** 1) Ex ista prohibitione, tria *directe* videntur inhiberi : ne liber *edatur*, *legatur*, *retineatur*. Hos enim saltem actus, jamant ea complectebatur simpliciter adhibita vox "*prohibitionis*". Idem confirmatur ex art. 12, ubi tria ista verba explicant alibi usurpatam vocem prohibitionis.

A. *De prohibitione absolute facta.*

1 *Quinam actus directe vel indirecte inhibeantur.*

Indirecte, seu consequenter, nefas erit libros prohibitos *vendere, in commodum dare, defendere.*

Actus istos exponit LUGO[2]. De singulis pauca.

a) *Edant* formaliter, tum *editor* stricte talis, qui curat ut liber vulgetur et disseminetur; tum *auctor* : non necessario tamen, sed si in hunc finem tradiderit opus a se conscriptum;

2 *Quinam edant.*

[1] Cfr. SUAREZ, De Legibus l. 3 c. 14. — [2] De Fide d. 21 a n. 71.

tum per se *typographus* qui opus suscepit imprimendum Isti in vulgandis libris operam habent principalem, quæ, — de pravis operibus agimus, — nunquam licita est. Cfr. LEHMK. I, 663. In casu tamen quodam extremo, possit typographus, qui aliter declinare non valeret intentas mortis minas, evadere cooperator mere materialis; ejusque actio imprimendi, quam *Laymann* l. 2 tr. 3, c. 13 n. 5, negat esse intrinsece malam, in his adjunctis excusari. Cfr. VILLADA, l. c. n. 21.

Quinam cooperentur proxime vel remote ad editionem.

Edentibus librum plures præstare possunt cooperationem sive *formalem*, quæ æque est reprobanda, sive *materialem* eamque *proximam* aut *remotam*. Prior solum ex gravissima necessitate honestari potest; altera gravi incommodo excusatur.

Proxime porro cooperantur, 1° qui typos componunt, tingunt atramento, chartam typis imponunt, prelum versant. Ita d'ANN. [1], qui cum plerisque [2], corrigentes [3] impressa inter remotos numerat cooperatores, contra MARC [4] et nonnullos. Hodie tamen, ubi machinæ adhibentur, plerique opifices non jam præstant nisi cooperationem remotam [5]; 2° Ii apud quos prava scripta omnibus prostant venalia, vel qui ea locant vel vendunt per vias.

Remote cooperantur, qui chartam præparant, libros jam impressos ordinant, "ignem machinæ in recentioribus typographeis admovent, aliave exercent ministeria remote tantum ad impressionem pertinentia". MARC, l. c.

3 *Quinam legant formaliter.*

b) *Legunt*, non illi qui mere audiunt legentem [6], aut memoriter recitant, aut ignari idiomatis locum materialiter oculis perlustrant, sed qui oculis perspiciunt, intelligendo quæ scripta sunt.

[1] op. cit. III, 142 et (19). — [2] Cfr, PIAT, op. cit. p. 628.
[3] Observes tamen istos etiam esse *legentes*. d'ANN. PIAT, ll. cc.
[4] I, 524. — [5] KONINGS I, 315.
[6] Idque probabiliter etiam si hunc consilio, prece vel jussione induxerint ad illud sibi prælegendum. Ita LUGO, l. c. n. 75; S. ALPH. l. 7. 292; d'ANN. II, 36. Non diffitemur huic interpretationi objici posse cum HOLLWECK, p. 24, nota 1, aliquam rigorosam literæ inhæsionem qua finis legis eludi possit. Attamen finis legis non est lex; difficilius quis reperit prælegentem quam ipse legat; nec repugnat quin lex positiva deficiat in casu rariore, etiam qui potiore jure secundum se foret attingendus. Hoc non est vitio legis tribuendum, sed varietati casuum contingentium; neque rationem præbet sufficientem, cur in lege odiosa deseras strictam verborum proprietatem.

N. II 2, 3.

4

Quinam retineant.

c) *Retinent*, qui *penes se* servant librum sive proprium, sive alienum; aut etiam qui deponunt, retento dominio, *penes alium*, nisi is facultate polleat legendi libros prohibitos, et librum servare possit donec vel expurgetur vel tradens ipse obtinuerit legendi facultatem [1]. Neque hic excusaris idiomatis ignoratione.

Quid de custode bibliothecæ, de bibliopega.

Non autem videtur retinere, qui mere *custos* est *bibliothecæ* in qua hujusmodi continentur libri, nisi in propriis domo vel cubiculo eos asservat.

Stricte loquendo retinet et *bibliopega*. Attamen, ex quadam epikeia videtur permitti ut libros retineat prohibitos, dum eos compingit pro habente facultatem. Imo et pro non habente, si accesserit damni ratio. Ceterum plerumque ignorantia protegetur. Cfr. ARNDT, p. 235, n. 173 [2].

5

De venditione. Quousque bibliopolis fas sit vendere aut commodare libros prohibitos.

d) Ad *venditionem* quod attinet : 1° Ne *venales* prostent apud bibliopolas aut *commodentur* libri de obscenis ex professo tractantes, vetatur *absolute*, art. 46. novæ Const.; quoad ceteros, venia ipsis per Ordinarium est a S. C. Indicis impetranda : neque vendendi sunt nisi iis qui prudenter existimantur legitime petere. Libros obscenos accipias illos qui formaliter illud argumentum versant, non autem qui ex scopo vere scientifico honestantur [3]. Pariter poterunt bibliopolæ vendere libros classicos obscenos iis qui ex art. 10 eos habere possunt.

Nec debent bibliopolæ specialiter interrogare ementem num habeat licentiam [4]. Sufficit autem ut, spectata ejus qualitate, illud probabile videatur. Amplior enim obligatio onus nimis ingratum imponeret bibliopolis. Atque in simili casu poterunt etiam alteri, id cupienti, arcessere librum quem non habent in suâ officina.

Quinam censeantur vendere. De hastis.

2° Libros autem venales habet, tum qui officinam suam eis instruit vendendi causa, tum qui undique coemptos libros, *nomine proprio*, sive pretio definito in catalogo (*livres d'occasion*) emendos proponit, sive, posita hasta (vente publique), præconi subjicit. Non autem habet venales libros, qui nomine alieno hastam habet, cujus pars sunt libri prohibiti, v. gr. ad defuncti bibliothecam spectantes. Quod jam vide-

[1] S. ALPH. l. 7, 298.

[2] LESSIUS tamen quem (*Auctarium* V. *Hæreticorum libri*) appellat, non loquitur nisi *ex jure naturali*.

[3] Cfr. infra n. 13, III. — [4] MARC. I, 524.

tur indulgere HEYMANS[1]. Excipe, ni fallimur, obscenos istos qui neque sermonis elegantia commendantur, ita ut nullum honestum usum moraliter habeant. Tunc saltem gravior causa requiretur ut ad hanc venditionem cooperaris. De officiali autem qui *ex officio* hastis præest, respondit, 26 Jun. 1820, S. C. PROP. FIDEI, ipsum non teneri investigare, an inter merces ... reperiantur libri hæreticorum aut alii obscena continentes. "Quod si casu id cognoverit, possitque impedire, ne pravi libri obveniant licitatoribus, qui ipsis sunt abusuri, id quidem præstet, etc." Cfr. *Collectaneam Prop. Fid.* n. 1874.

6

De commodatione. Quousque caupones proponere possint pravas ephemerides.

e) *In commodum dari* nequeunt iis qui facultate carent. Inde quæstio, an possint *caupones* pravas ephemerides *hospitibus* proponere. Quam sic solvendam putamus[2], præcisa positiva prohibitione.

1° Ob accedentem rationem scandali, non possunt, etiam si a multis clientibus desererentur, proponere illas quæ prorsus fidei, moribus adversantur.

2° Illas autem quæ rarius aliquid minus rectum continent, poterunt tradere legendas ob causam rationabilem, præsertim si ob res annuntiatas (v. gr. nuntios mercatorios) sit quædam plurium necessitas quodpiam folium legendi : saltem tunc in loco separato hujusmodi clientibus hæc suppeditare possunt.

3° *Confessarius* autem practice videat quid obtinere possit. Severius urgenda res est in locis istis ubi, ut ruri, simul utilius auferuntur et majore cum scandalo exponuntur istæ ephemerides. Malum quod exstinguere nequit, certe extenuet, efficiendo ut rogantibus tantum, aut in loco separato, non indiscriminatim, tradantur, et saltem simul exponantur bonæ ephemerides.

7

Quid libri defensio.

f) *Defensio libri*, fit tum *physice* eripiendo librum, seu materiale volumen, destructioni, traditioni superioribus, etc.; tum *moraliter*, verbo vel scripto illum tuendo sive absolute, sive quatenus ansam dat prohibitionis[3]. Non autem defendit opus pravum, qui laudat solam partem innocuam, vel etiam

[1] op. cit. n. 356. — [2] Cfr. LEHMK. I, 664, ARNDT, p. 235, 236, n. 175.

[3] Per vocem *defendere*, "defensio tam juris quam facti importatur" BARBOSA *dictiones usu frequentes*, dict. 81 n. 4.

stylum, etc., "modo non arguat laudem vel approbationem libri". LUGO, de Fide d. 21. n. 94 [1].

8 *Libri prohibiti sunt destruendi. An restitui possint domino.*

2) Libri prohibiti *per se destruendi* sunt. Novâ enim Constitutione non jam injungitur facienda Ordinario traditio, quæ ceterum parum urgebatur. Cfr. ARNDT, p. 238, 239, n. 176.

Nec *per se* restitui possunt domino non habenti facultatem. Excusaberis tamen notabili incommodo : v. gr. rixarum, blasphemiarum etc., et etiam (seclusa speciali ratione) gravis amici contristationis, timoris ne dissolvatur amicitia. BALLERINI [2]; BERARDI [3]; ARNDT [4].

9 B. *De minus absoluta prohibitione. Prohibitio edendi.*

B. **De minus absoluta Prohibitione.** 1) *Prohibitio edendi* librum sine prævia approbatione, non prohibet per se lectionem, retentionem libri editi sine obligata censura. Neque verba enim plus sonant; neque, cum severiorem intendit sanctionem, solet Legislator eam silentio premere [5]. Cfr. v. gr. art. 13, 18, 20. Ita etiam PENNACCHI [6], GENNARI [7], etc. contra PÉRIÈS [8].

10 *Quid ex professo, data opera.*

2) Clausulæ *ex professo, data opera* vix in usu differunt; et tanquam idem sonantes a plerisque habentur [9]. Si tamen vim verborum consideres, recte a PENNACCHI [10] plus intelligitur per clausulam *ex professo* quam per alteram *data opera*.

Data enim *opera*, idem est ac "*de industria*" [11], consulto, studiose. *Gallice* dixeris : "*de propos délibéré, de parti pris*" [12]; *italice* : "*a bella posta*" etc. [13], et ei opponitur dictio : *obiter, per transennam* (en passant, à l'occasion).

---

[1] Cfr. LEHMK. II, 924; ARNDT, op. cit. p. 240; HOLLWECK, p. 26; GENNARI, Monit. l. c. p. 155.

[2] ad Gury. I, 241. — [3] de Occasionariis II, p. 248. — [4] l. c.

[5] Nec sufficit, contra atque opinatur HOLLWECK (qui, p. 36, 37, nota 3; et p. 50, 51. nota 3, hanc inducit distinctionem), quod necessitas censuræ præviæ, pro quibusdam libris, exprimatur in capite quod titulo *De Prohibitione librorum* continetur. Id, inquam, non sufficit. Insertatio enim satis explicatur per connexionem materiæ, sicut sub eodem titulo, quidam articuli, v. gr. art. 4, positive permittunt certas species librorum. In adversa autem sententia, nulla ratio dari potest cur in quibusdam articulis sanctio prohibitionis libri apponatur postulatæ censuræ, in aliis de sanctione ista omnino sileatur. Teneamus ergo illud : non est inducenda prohibitio quam Legislator non expressit.

[6] *A. S. S.* l. c. n. 54, p. 311. — [7] *Monit.* l. c. p. 66 et nota 1. — [8] p. 114.

[9] V. gr. PLANCHARD, *Rev. th. fr.* l. c. n. 75; GENNARI, *Monit.* l. c. p. 80. — [10] *A. S. S.* l. c. n. 59, p. 346. — [11] FORCELLINI, v. *Deditus*. — [12] PLANCH. l. c. n. 43. — [13] PENN. ibid.

N. 11 8-10.

Ex professo insuper negat dissimulationem talis consilii, ita ut agas quasi profitendo [1], v. gr. enucleate et propositis argumentis.

Verum ut *liber* (et non tantum scriptor in aliquo loco) reputetur *data opera, ex professo* quid facere[2], oportet ut vel ex tendentia sua generali, vel in notabili parte in istud incumbat. Notabilis pars erit unum caput, quandoque minus, si capita sint prolixa.

De hac notione cfr. GÉNICOT[3], HOLLWECK[4], PENNACCHI[5], PLANCHARD [6].

11 *In odium auctoris. Opera omnia.*

3) Prohibitio *in odium auctoris* respicit opera etiam futura. Num prohibitio universalis per clausulam *opera omnia* reputetur facta in odium auctoris? Documentum authenticum de hac re non invenimus. Opinio tamen, ore circumferri sat solita, ita clausulam accipiebat. Et confirmari poterat hæc interpretatio, ex eo quod post Decretum *opera omnia* prohibens, nulla jam (quantum rem observare nobis licuit) reperiebatur in Indicis catalogo specialis proscriptio cujuspiam libri ejusdem scriptoris. Huc etiam facit distinctio inter clausulam *opera omnia*, et has alteras *opera hucusque edita seu quæ in lucem edita circumferuntur* in illo Indice usurpatas. Cfras. catalogum v° *Dumas* et *Sand.*

Nunc autem, non ita pridem, proscripta sunt opera omnia ÆMILII ZOLA; et nihilominus postea[7] reprobata sunt novis Decretis bina recentiora ejusdem opera *Rome*, *Paris*. Præterea silet nostra Constitutio de damnatione quæ fiat in odium auctoris, et suppressit universalem proscriptionem omnium operum hæresiarcharum, quæ in odium auctoris reputabatur facta. Quare nunc, *quod attinet ad Decreta lata sub regimine nostræ Constitutionis*, videmur stricte accipere posse clausulam " opera omnia ", utpote odiosam, de operibus quæ prostent quum fit proscriptio. Patet tamen, si quid deinceps idem auctor ediderit, id saltem pro suspecto esse habendum, nec temere legendum vel retinendum.

12 *Donec corrigatur.*

4) Clausula "*donec corrigatur*" ponit librum inter vetitos, donec a S. Sede ipsæ correctiones probatæ fuerint.

[1] " Non dissimulate, palam et data opera, quasique profitendo " FORCELLINI, v. *Ex professo.*

[2] Id nonnulli prætereunt, ut GENNARI, *Monit.* l. c. p. 36; PIAT, *N. R. Th.* T. 30, p. 56, cum probat BOUDINHON. *Canoniste* 1897 p. 214.

[3] op. cit. I, p. 416-418. — [4] op. cit. p. 34 et 40. — [5] *A. S. S.* l. c. p. 214 et 346. — [6] l. c. n. 24. — [7] 22 Aug. 1896, 1 Sept. 1898.

IX. — Variæ prohibitionis rationes. 12

1 *Decreto speciali vel generali.*

1) Ut jam pridem, alia opera prohibentur *decreto speciali*, seu nominatim catalogo inseruntur; alia *regulis* attinguntur *generalibus* quæ potissimum a nobis exponendæ sunt.

A S. Sede, per quæn. organa.

2) Alia prohibentur a *S. Sede* et pro universa Ecclesia (art. 45): quod fieri potest tum ab ipso S. Pontifice, seu per Literas apostolicas, tum a Congregatione Romana competente, h. e. sive a S. Officio, sive ab Indicis Congregatione. Interdum enim exercet adhuc Congr. S. Officii munus istud proscribendi libros, quod ipsi, tanquam supremo tribunali fidei et morum, a Paulo III a° 1542 erat demandatum; plerumque tamen damnantur libri per S. Indicis Congregationem, quæ a S. Pio V instituta, veluti adjutrix dicitur S. Officii. Fieri denique potest, ut liber, ex speciali ejus argumento, pertineat ad provinciam alterius cujuspiam Congregationis: ut libri de liturgia, de cultu sanctorum ad Congr. S. Rituum. Quo casu, *etiam*[1] hæc Congregatio librum noxium valebit prohibere.

2 *Ab Ordinariis. Officium Ordinariorum loci.*

Alia vero prohibentur *ab Ordinariis locorum* et pro sua diœcesi. Similis quædam facultas competit Prælato regulari quoad suos subditos, saltem ex potestate sua dominativa. Authenticum enim de libro judicium facere nequit Pennacchi op. cit n. 67 fine.

Procedere possunt etiam tanquam Delegati Apostolicæ Sedis. Quo spectet hæc clausula.

Excitatur porro zelus Ordinariorum in hac re, tum art. 21 Constitutionis, tum maxime art. 29. Hoc enim iteratur jussio, jam contenta mandato 26 Mart. 1825 quod Leo XII addiderat Decreto S. Indicis C., et iterum a Pio IX inculcata 24 Aug. 1864 per literas S. C. Indicis "Inter multiplices"[2], "ut libros aliaque scripta noxia in sua Diœcesi edita vel diffusa proscribere et e manibus fidelium auferre studeant" (art. 29). Simul, eodem articulo innovatur facultas data per memoratas literas *Inter multiplices*, vi cujus locorum Ordinarii in hac re procedere possint, *etiam tanquam delegati Apostolicæ Sedis.* Quæ facultas huc spectat, ut nemo "prætextu defectus jurisdictionis aut alio quæsito colore Ordina-

[1] Non raro Congregationes Romanæ habent sic jurisdictionem *cumulativam.*

[2] Documentum exhibent *Collect. Prop. Fid.* n. 1889; Avanzini op. cit. 1 p. 136. 137; Arndt op. cit. n. 165 p. 209-211; Penn. *A. S. S.* l. c. n. 67 p. 401.

riorum sententias et proscriptiones ausu temerario spernere vel pro non latis habere præsumat". (Lit. *Inter multiplices.*)

3 *An prohibitionibus Episcopo-rumteneantur Regulares.*

3) Si quæras exinde, *an prohibitionibus Episcopalibus teneantur Regulares exempti*, ita ut ipsis interdicatur lectione, retentione librorum aut ephemeridum quæ improbarit Ordinarius in cujus degant territorio : in primis monemus sedulo Regularibus cavendum esse, ne palam hujusmodi legendo vel etiam intra suas domus accipiendo, diœcesanis sint scandalo, neve aliqua immunitatis ostensione imminuant Episcopi auctoritatem. Ipsam vero Regularium subjectionem plures affirmant, ut HOLLWECK[1], PENNACCHI[2], sed, nostra sententia, minime efficiunt. Habent enim Regulares proprie dicti (et etiam quarumdam Congregationum alumni, v. gr. C. SS. Redemptoris) generale privilegium Exemptionis, quod, ut commendans auctoritatem S. Pontificis, latam recipit interpretationem[3]; et domus Regularium per fictionem juris veluti avulsæ sunt a Diœcesi[4]. Extra diœcesim vero per se nihil potest Episcopus. Quare valet illud principium quod Romæ in schola juris memoramus traditum : quoad jurisdictionem, Episcopus nihil potest in regulares nisi quod expresse in jure illi concessum est[5]. Contrarium vero cl. PENNACCHI assertum, quo de singulis exemptionibus deberent regulares afferre Indultum, plane pervertit conceptum exemptionis Regularium, supprimit generalitatem privilegii, repugnat auctoribus atque ipsi Constitutioni *Romanos Pontifices*[6]. Casus enim quibus Regulares subduntur Episcopis, proponunt ut *exceptiones* et *temperamenta* facti privilegii. Nec omittunt Doctores singulas derogationes accurate probare.

Porro inter has exceptiones, quas tamen diligentissimâ curâ collegerunt, nusquam[7] indicatur præsens casus. Materia tamen non prætermittitur, cum diserte doceant Regulares subdi Episcopis quoad præviam censuram. Possunt quidem Ordinarii, ex art. 29, in proscribendis scriptis noxiis procedere etiam tanquam Delegati Apostolicæ Sedis. Sic communicata apostolica auctoritas, tribuit Episcopis expeditiorem potestatem, summovetque obstacula quæ finem impedire

[1] Op. cit. p. 54. — [2] *A. S. S.* l. c. n. 67 p. 406. — [3] Ex principio generali S. ALPH. Append. de Privil. n. 8. Cfr. SUAR. Leg. l. 8 c. 27 n. 7.
[4] C. LEONIS XIII, *Romanos Pontifices* initio.
[5] Cfr. PIAT Prælectiones juris regularis, T. 2 p. 195, 196. q. 9 fine.
[6] L. c. — [7] Etiam post concessam delegationem apostolicam. Cfr. v. gr. PIAT Prælectiones Juris regularis T. 2 p. 202-275.

possint ob quem est delegatio facta. Quod autem *de se* extendat efficaciam legis Episcopalis ad partes quæ censentur "a Diœcesi avulsas", quando nec constat in hunc finem datam fuisse nec ad intentum requiritur, quo jure probes vel asseras? In casu autem præsenti, per se æque intendi potuit major et certior efficacia proscriptionis quoad omnium libros attingendos, quam extensio prohibitionis episcopalis ad personas exemptas, quæ aliorum Prælatorum curis sunt commissæ. Jam vero, *a*) si consideremus literas *Inter multiplices* per quas prius collata est illa facultas, PIUS IX, per has literas excitavit Ordinarios ad exercendam suam potestatem proscribendi libros, ut *celerius* ingruenti malo *scripti noxii* occurreretur in singulis diœcesibus. Et cum declarata necessitate promptæ coërcitionis, immediate connectit concessam delegationem[1]. Huic autem celeri coërcitioni, cujus voluit removere obstacula, quid officere poterat exemptio Regularium? Hi nonne per proprios Superiores, extra raros casus necessitatis, prohibentur lectionibus periculosis? Obstare vero poterant varii alterius generis prætextus : v. gr. deficientis conditionis requisitæ a CLEMENTE VIII (hic infra), approbationis receptæ a proprio Episcopo etc. ob quos forte contenderent quoad ipsum librum proscribendum deficere jurisdictionem in Episcopo, ejusque sententias "pro non latis" haberent[2]. Et reapse de potestate Episcopi plectentis certos libros, quæstiones movebantur[3]. Cf. ALBITIUS *de Inconstantia in Fide*[4]. Ac difficultatem facere poterat declaratio CLEMENTIS VIII quâ circa hanc Episcoporum facultatem edixerat : "casus erit rarissimus, nec sine gravissima causa hac potestate utendum, et de

1 Sic enim perhibet : "Queis (excitatoriis literis) si debita obedientia respondeat, gravissima mala removebuntur in iis præsertim diœcesibus, *in quibus promptæ coercitionis urgeat necessitas*. Ne quis vero prætextu defectus jurisdictionis aut alio quæsito colore... Sanctitas sua concessit... ut in hac re etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati... procedant". Nec dicit *prætextu exemptionis*, ut pronum fuisset si cogitasset de Regularibus, sed iis utitur vocibus quæ facile referuntur ad *absolute*, seu quoad libros, deficientem jurisdictionem.

2 Cfr. lit. *Inter multiplices*.

3 Quod autem, ut innuit cl. PENNACCHI, Regulares allegatâ suâ exemptione impediverint Episcopi actionem, imo quod inter ipsos et Episcopum hac de causa subortæ fuerint controversiæ, fatemur nos plane ignorare

4 c. 30, n. 164-186.

ejus usu S. Sedes certior reddenda"[1]. Cfr. etiam literas PROP. FID. 11 Aug. 1855[2]. Ceterum, quum Regularium exemptio est causa vel occasio hujusmodi delegationis, nihil magis solitum quam clausula *etiam in personas exemptas*, vel alia similis, qua expresse exemptioni derogatur. *b*) Si ad præsentem articulum 29 respiciamus, conjungitur delegatio cum indicato munere quo Episcopi cavere debent ut scripta noxia "e manibus fidelium auferre studeant". Fideles isti quinam sunt nisi subditi diœcesani? Quocirca, donec S. Sedes contrarium definiverit, censemus retineri posse sententiam, quam nobiscum propugnant PERIÈS[3], GÉNICOT[4] et plures quos interrogavimus canonum vel theologiæ professores aut periti, etiam ex Urbe.

Adversæ tamen sententiæ libenter concedimus probabilitatem, tum ob auctoritatem extrinsecam eorum qui illam tuentur[5], tum ob argumentum depromptum ex illa delegatione apostolica art. 29[6].

Sed, quod diligenter notatum velimus, minime commovemur ceteris rationibus quas affert cl. PENNACCHI[7].

---

[1] Declaratio regulæ X, relata ab ALBITIO *Inconst. in Fide* n. 186, et ab ARNDT op. cit. n. 163.

[2] *Collectanea C. Prop. Fid.* n. 1886. — [3] Op. cit. p. 164. — [4] Op. cit. I. n. 451.

[5] HOLLWECK, PENNACCHI. Is etiam affirmat se præstantibus patronis stipari.

[6] "Etsi sola hac delegationis ratione" se moveri fatetur PALMIERI (op. cit. in art. 26 et 29), infirmum tamen esse illud argumentum, nobis confirmat cl. OIETTI in *Analecta ecclesiastica* 1898 p. 383, provocatque ad ipsum FAGNANUM, qui quamvis parum faveat Regularium causis, nihilominus in c. 19 De off. jud. ord. (I, 31), n. 5, negat Episcopum delegatum a Papa procedere posse contra exemptos, si de exemptione nulla esset mentio facta in literis; et testatur hanc esse doctrinam HOSTIENSIS et JOANNIS ANDREÆ.

[7] Arguit v. gr. l. c. ex subjectione Regularium in causis fidei. Videlicet, cognitio judicialis causarum quæ spectant ad *S. Officium*, *privative* (exclusis propriis Prælatis) reservatur Episcopis. Causæ istæ sunt hæresis, et suspicio hæ esis (Cfr. ALBITIUS l. cit. n. 44), quam incurrunt legentes et retinentes libros *hæreticorum* (ALBITIUS l. c. n. 93); et, ex SIXTI V. C. *Cæli et terræ*, libros spectantes ad exercitium artis divinatoriæ (ALBITIUS n. 97. PIAT Prælect. Jur. reg. II p. 251.) Quo jure illud transferas ad omnes libros, etiam morum causa et a Prælato non proprio damnatos, ita ut Regulares, hos legentes, habeas pro suspectis de hæresi, et deferendos dicas ad Episcopum, ita ut Superiores in delinquentes advertere non possent? Quid, quod hæc judicialis cognitio competit Episcopo ut Inquisitori, dum libros prohibet ut Pastor et Doctor? Immerito dein affirmat cl. PENN. omnibus Episcopo-

4) Hac ergo proscribendi facultate uti valent Episcopi circa libros etiam exemptorum, vel externorum. Nec obstat librum extra diœcesim esse editum, vel ab alio Antistite probatum. In posteriore tamen casu usus potestatis non erit prudens sine gravissimis causis. Cfr. ARNDT, p. 213, 214, n. 163.

4 *Circa quosnam libros exercere possint Ordinarii facultatem proscribendi.*

Episcopis tamen non licet proscribere librum *ob præcisam rationem* improbandi propositionem vel doctrinam quæ neque damnata sit, neque proxime ad damnatam accedat [1]. Dirimere enim nequeunt sua auctoritat controversias quas tolerat Ecclesia. Si tamen propagatio hujusmodi doctrinæ, ut pacem turbans etc., videatur ipsis inopportuna et funesta suæ Diœcesi, non prohibentur librum istum censoria sua nota, qua scriptum noxium, damnare. Monet autem ipsa Constitutio art. 29, ut ad apostolicum judicium ea deferant opera vel scripta quæ subtilius examen exigunt, vel in quibus, ad salutarem effectum consequendum, supremæ auctoritatis sententia requiri videatur.

N. B. Clausulæ *etiam tamquam Apostolicæ Sedis delegatus*, neque DE ANGELIS (2) neque SANTI (3) efficaciam per se tribuunt dilatandi spatia potestatis ordinariæ Episcopi, sed potius arcendi quæcumque impedimenta huic auctoritati exercendæ obstare possint.

Sententia De Angelis Santi.

rum censuris teneri Regulares; nam, ut modo loquamur cum severiore et minus communi sententia, iis solis obnoxii sunt quæ pertinent ad materiam in quâ expresse Episcopis subduntur. Ad rem autem non est TRID. s. 25. Reg. c. 15, cum ibi agatur de censuris servandis *in ecclesiis* Regularium, ut sunt interdicta, prohibitiones ab ingressu ecclesiæ etc. Cfr. REIFFENSTUEL I. 31, n. 126.

Denique, quia arguimus ex privilegio exemptionis vi cujus sunt non subditi et quasi extra diœcesim, non autem ex facultate a S. Sede facta legendi libros prohibitos, quid officit art. 26 præsentis Constit., quo negatur *hac facultate* permitti libros ab Ordinariis proscriptos?

[1] ARNDT, ibidem.

(2) Pracl. jur. can. in l. I t. 29 n. 2°.

(3) Pracl. jur. can. in eumdem locum n. 3.

CAPUT SECUNDUM.
De Operibus quæ proscribuntur.

SECTIO I. — DE PROHIBITIONIBUS LIBRORUM.

13 **Art. I. — Libri omnibus et sine temperamento prohibiti.**

Omnibus et sine temperamento prohibentur :

1 I. — **Libri damnati ante 1600** (art. 1. Constit.)

"Libri omnes, quos ante annum 1600[1] aut *SS. Pontifices*, aut *Concilia œcumenica* damnarunt... *iis exceptis, qui per hæc decreta generalia permittuntur*". (art. 1).

Quænam damnatio intelligatur.

1) Prohibitio non afficit libros quos damnavit *Congregatio Romana;* aut qui includebantur dispositione *generali* lata a S. Pontifice etc., cum ex præsenti Constitutioni æstimandi sint canones generales.

Quid si antiquiorum hæreticorum.

2) Excipiebant etiam probabiliter, præsertim pro theologis et ecclesiasticarum scientiarum cultoribus, libros *antiquiorum hæreticorum*, ut TERTULLIANI, EUSEBII, PELAGII et hujusmodi. Desiit enim periculum; et plurimas utilitates, v. gr. ad indagandos priscos christianorum mores, ad confirmanda dogmata vera, continet eorum lectio[2]. Benignior indoles nostræ Constitutionis permittit ut hanc exceptionem retineamus. Ita GÉNICOT[3], HOLLWECK[4], PENNACCHI[5].

Quid de collectione Migne, Mansi.

Secundum cl. PENNACCHI, scripta hæreticorum quæ continet *collectio Migne*, hanc non faciunt prohibitam, cum inserantur tantum ut confutata in adjectis Patrum operibus, vel ut monumenta ecclesiasticæ traditionis. Quod multo magis tenebit de collectione conciliorum quæ a LABBE MANSI nomen habet.

Ubi reperiantur.

3) *Catalogum* porro eorum librorum authenticum non habemus. Plerosque, saltem a sæc. 9. ad 1500, refert ARNDT

[1] In 1ª ex regulis Ind. TRID. dicebatur, ante annum 1515.
[2] Cfr. LUGO de Fide d. 21 n. 29, AVANZ. p. 132, ARNDT p. 114, 115 n. 97, GÖPFERT p. 325.
[3] Op. cit. I, 342, 1. — [4] Op. cit. p. 30. — [5] *A. S. S.* l. c. n. 39 p. 169.

n. 43-65. Hujusmodi sunt libri BERENGARII, ABAILARDI, MARSILII PATAVINI, WICLEFFI, HUSSII, HIERONYMI PRAGENSIS. (Cfr. ipsum Exord. Const[is].)

4) Qui autem excipiuntur, tanquam per hæc Decreta Generalia permissi, videntur indicari art. 5, 6, 8, 10[1]. *Exceptio.*

II. — Libri propugnantes hæresim vel schisma, aut evertentes Religionis fundamenta (art. 2.) 2

"Libri *Apostatarum*, hæreticorum, schismaticorum et *quorumcumque scriptorum hæresim* vel *schisma propugnantes*, aut *ipsa religionis fundamenta utcumque evertentes*". (art. 2). Antea[2], magis observata scriptoris qualitate, proscribebantur hæresiarcharum libri omnes, hæreticorum vero ii saltem qui de religione ex professo tractabant. Nunc, *in hoc articulo*, ad scribentem aut ejus mentem non respicitur, modo clausula obtineat. Jam vero :

1) *Apostata*, qui, ut patet, hic intelligitur apostata a *christiana fide*[3], est omnis qui non tantum catholicam sed christianam fidem externe (etiam occulto) simul et interne penitus abjicit, sive transeat ad "errores *Mahumeti* etc., sive mere fiat perfectus liber cogitator". AVANZINI l. c. p. 8. Cogites v. gr. E. RENAN, LAURENT. *Quid Apostata.*

2) *Hæresim* intelligas, errorem oppositum veritati sufficienter ab Ecclesia sive per magisterium ordinarium, sive per formalem definitionem propositæ; illum nempe qui, si cum pertinacia externe fuerit propositus, reum faciat hæresis in foro canonico, et plectatur excommunicatione latæsent. specialiter R. P. reservatæ per C. *Apostolicæ Sedis* n. 1. *Quid hæresis;*

3) *Schisma* perfecte sumptum, infert discessum a communione *universalis* Ecclesiæ, quod practice fiet abjiciendo auctoritatem spiritualem legitimi Summi Pontificis. Nam si detrectes subjectionem Episcopo legitimo, schisma non erit perfectum, nisi ideo te separes ab eo quia ipse communionem servat cum R. Pontifice. Cf. SCHMALZGRUEBER, L. 5 t. 8 n. 12. *schisma;*

[1] PENNACCHI nos rejicit ad art. 3 et 4; sed non putamus libros innocuos hæreticorum fuisse *specialiter* damnatos a Concilio vel Summo Pontifice, ac proin attingi hujus primi articuli regula.

[2] Ex reg. 2. Ind.

[3] Distinguunt enim apostasiam *a fide*, ab *ordine* (sacro v. gr. diaconatu), a *religione* (ab ordine regulari).

propugnare; 4) "*Propugnare*" plus dicit quam asserere, aut mere (sine demonstratione) laudare; sed est *tueri* subjectis rationibus.

Religionis fundamenta. 5) "*Ipsa Religionis fundamenta*" intelligimus unice veritates quæ vel ipsam fundant religionem naturalem vel adulto infideli, ipsi fidei amplectendæ preambulæ sunt, non autem simul præcipua dogmata ipsius fidei. Hæc minus proprie dicuntur Religionis fundamenta, et jam prioribus verbis attinguntur [1]. Veritates istæ sunt : existentia Dei, spiritualitas animæ, vis probandi miraculorum, motiva credibilitatis in genere, et si quid hujusmodi [2].

Utcumque evertere. 6) *Utcumque evertentes*, seu quocumque modo. Ergo impugnatione seria aut quæ fiat per ridiculum, directa aut indirecta, v. gr. tuendo scepticismum universalem : unde jam Deus nequeat demonstrari.

3

III. — Libri ex professo obsceni (art. 9.)

(*Art. 3 et 4 cfrs. n. 15 p. 78; art. 5, 6, 8 n. 16 p. 80; art. 7 n. 15 p. 80.*)

"Libri qui *res lascivas seu obscenas* ex professo *tractant, narrant,* aut *docent*" inhibentur art. 9.

Non aguntur libri scientifici. 1) Non aguntur hic libri, qui scientiæ moralis, medicinalis excolendæ gratia, tradunt etiam quæ de materia turpi in hunc finem sunt scitu utilia. Libri isti non sunt reprobandi, etsi non ab omnibus pervolvendi.

Nec speculative contra mores. Nec libri qui *theoretice* bonos mores impugnant, tuentes divortium, amores liberos, atheismum [3]; sed, ut ait Bouix [4], libri qui *practice* moribus adversantur, seu literas "*pornographicas*" efficiunt : quatenus "res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant, aut docent".

Quid obscena 2) "*Obscena*" intelligas turpia visu, nempe ea quæ visa de se turpem (venereum) excitant appetitum.

Tractare "*Tractant*" : qui eo modo obscena versant quo excitetur libido, suggerantur cogitationes quas vocant "practicas", morosæ de re turpi delectationes.

[1] Nobiscum Hollweck op. cit. p. 31; Périès op. cit. p. 64 not. 2; Planchard *Rev. th. fr.* l. c. n. 21, 3; contra Gennari in *Monit.* X. p. 16; et Piat *N. R. th.* t. 30 p. 53 n. XIII.

[2] Non autem divinitas Christi, contra Pennacchi qui ceterum nobis astipulatur. *A. S. S.* l. c. n. 40 p. 172, 173.

[3] Ex hac inquam clausula; nam cfr. art. 2, 14 Constitutionis. — [4] *De curia romana* p. 387. Ita et *Boudinhon Canoniste* 1897, p. 305.

Narrare

"*Narrant*" : qui eadem describunt vel historice referunt cum particularibus adjunctis quæ turpem imaginem menti repræsentant.

Docere

"*Aut docent*" : qui explicant ubi, quomodo turpes actus perficiantur, alliciantur mulieres etc.

ex professo

3) Oportet autem ut id faciant *ex professo libri :* i. e. data opera, " specialiter et concepta intentione " et *in notabili parte* : sive *integrum caput* his destinetur, sive passim et non raro (gallice dixeris : un peu partout) hæc in libro occurrant. Unde, exempli causa, non damnatur hic opus *En route* HUYSMANS, quod, ut multa opera romantica, obscena narrat, sed non ex professo ; damnatur autem aliud opus *Là Bas* ejusdem auctoris[1].

N. B. *An imagines turpes.*

N. B. *Obscenæ imagines*, ut diximus, hic non attinguntur, nisi quatenus pars sunt libri obscena ex professo tractantis vel docentis. HOLLWECK op. cit. p. 32, citans BOUDINHON.

De art. 10 qui exceptionem continet quoad classicos, cfr. **16** 2.

4

IV. — Libri detrahentes Deo, aut B. M. V., vel Sanctis aut catholicæ Ecclesiæ, ejusque cultui vel sacramentis, aut apostolicæ Sedi (art. 11, 1ª p.)

(*Art. 10 cfr. n. 16 p. 82 sqq.*)

"Damnantur libri *in quibus Deo* aut *Beatæ Virgini Mariæ, vel Sanctis aut catholicæ Ecclesiæ, ejusque cultui*, vel sacramentis, aut *Apostolicæ Sedi detrahitur*". (art. 11, 1ª p.) Hæc clausula innovat dispositionem quæ Decr. generalibus, § 2. n. 13, omnes hujusmodi conscriptiones plectebat. Cfr. ARNDT p. 148 n. 119.

An requiratur ut fiat ex professo.

1) Quia verba *proprie* sunt accipienda, et solet Legislator exprimere clausulam *ex professo* sicubi illam requirit ; imo quia in hoc eodem articulo, in 3ª parte, inserit dictionem *data opera*, non possumus consentire cl. PENNACCHI[2] qui illam hic subintelligendam putat. Nobiscum GÉNICOT[3], GENNARI[4], MOUREAU[5].

Practice tamen non multum differimus. Arguendo enim

[1] De his cfrs. HOLLWECK op. cit. p. 32; PENNACCHI *A. S. S.* l. c. n. 47 p. 202-206; PLANCHARD. *Rev. theol. fr.* 1897, p. 33, 34.

[2] *A. S. S.* l. c. n. 49, p. 209, 210. Ejus tamen sententiæ est etiam cl. PALMIERI op. cit. in hunc. art. — [3] op. cit. I 452; — [4] *Monitore* X. p. 37; — [5] *Rev. des sciense eccl.* T. 6, p. 100, 101.

ex inscriptione hujus capitis 5 : " De quibusdam *specialis argumenti* libris ", existimamus necesse esse ut sat notabiliter, etsi nondum ex professo, opus sit Deo, etc., injuriosum ut possit dici liber hujus specialis argumenti [1]. Secus insuper, contra indolem hujus Constitutionis, ad nimis multos libros se extenderet hæc damnatio. Denique, ut observat GÉNICOT l. c., apti vix erunt ad *graviter* lædendam vel comminuendam justam existimationem Dei etc., nisi ii libri in quibus detractio aliquatenus evolvatur. Gravis autem illa læsio omnino videtur necessaria. Oportet ergo ut ex detractionibus istis ipsum opus moraliter reputetur impium. Eleganter DESJARDINS [2] vertit : " les œuvres impies, qui s'attaquent à Dieu etc."

Quare opus in quo per duas, tresve paginas continuetur detractio contra B. M. V., etsi in aliis partibus honestum, censemus hoc articulo prohiberi.

Quid detrahere. Requiritur formalis detractio.

2) Porro " *detrahere* " est verbis cujuspiam famam, existimationem auferre, minuere. Gallice dixeris : *vilipender, dénigrer, discréditer.* Detractio autem accipienda est formalis, ex prava manans intentione, non materialis tantum seu præter intentionem.

Exempla.

3) " *Deo, Beatæ Virgini Mariæ, sanctis, catholicæ Ecclesiæ, ejusque cultui vel sacramentis* ". Multa eaque bene selecta hujusmodi detractionum exempla refert PENNACCHI l. c.

Quid cultus.

Cultum tamen Ecclesiæ non cum ipso accipimus de honore Ecclesiæ debito, quod plane inutilem facit illam clausulam, sed de ratione qua Ecclesia divinum cultum exercet per actiones liturgicas. Ita obvius habet sensus, ita etiam structura verborum quæ conjungit *cultum* cum *sacramentis :* " ejusque cultui vel sacramentis " ; et nobiscum dicunt DESJARDINS l. c. " Son culte " ; GENNARI l. c. " al sacro Culto " ; HOLLWECK [3] " ihr Cult " ; PLANCHARD [4].

Apostolica Sedes.

4) " *Apostolicæ Sedi.* " Hæc non est persona talis cujuspiam Pontificis. Si tamen ex animo impetendi S. Sedem, congerantur probrosæ narrationes adversus varios Summos Pontifices, præsens clausula obtinebit.

---

[1] Nimia severitate hic peccant GENNARI l. c. : " in qualunque misura fatta (purchè in materia grave) " ; et MOUREAU l. c. " il suffit qu'il le soit " (injurieux) " de fait en quelque endroit ".

[2] *Etudes relig.* T. 71 p. 208.

[3] op. cit. p. 34. — [4] *Rev. th. fr.* n. 41

V. – Libri qui inspirationis S. Scripturæ conceptum adulterant aut nimis coarctant ejus extensionem. 5

(art. 11, 2ª p.)

Proscribuntur " opera in quibus *inspirationis S. Scripturæ* conceptus *pervertitur*, aut ejus *extensio nimis coarctatur* ". (art. 11. 2ª p.).

Duplex vitium attingitur.

1) Damnantur ergo libri in quibus, contra *certam* doctrinam, quæ modo eruetur ex Encycl. *Providentissimus Deus* LEONIS XIII, 18 Nov. 1893, vel *formalis* inspirationis conceptus adulteratur, vel *materialis* ejus amplitudo extenuatur.

Rursus autem id satis evolvere debent, ut possint dici hujus specialis argumenti, et ut valeant perversam notionem inspirationis vel nimiam coarctationem lectori persuadere.

Casus utriusque rationis.

2) *Pervertere* autem censetur inspirationis conceptum : *a*) qui eam mere pro subsequente approbatione habet [1]; *b*) qui locum *inspiratum*, ab erroribus in fide aut moribus *tantum*, necessario immunem profitetur, ita ut continere posset errorem v. gr. historicum.

Nimis *extenuat* ejus amplitudinem, qui " inspirationem ad aliquas tantum Scripturæ partes coangustare " ausus fuerit, dum Deus ita homines (quos inspirabat) " excitavit et movit, ita scribentibus astitit, ut ea omnia eaque sola quæ Ipse juberet ... conciperent ... conscribere vellent ... exprimerent ".

Alterutrum facit, " qui in *locis authenticis* Librorum sacrorum quidpiam falsi contineri posse existimet ". Cfr. dictam Encycl. versus finem.

Quid de obiter dictis?

Num *locum* constituant " *obiter dicta* ", quæ quidam recentiores [2] pro non necessario inspiratis habebant, nolumus hic definite pronuntiare [3]; et potius negamus, cum PENNACCHI [4]. Contra hanc doctrinam enim non fuit directa Encycl. *Providentissimus*.

[1] C. VATICANI s. 3. c. 2.
[2] NEWMAN etc.
[3] Contra absolutam affirmationem GENNARI Monit. X, p. 38.
[4] *A. S. S.* l. c. n. 49, 2, p. 219.

6

VI. — Libri data opera insultantes Ecclesiasticæ Hierarchiæ aut statui clericali vel religioso (art. 11, 3a p.)

Inhibentur "libri *qui data opera Ecclesiasticam Hierarchiam*, aut *statum clericalem vel religiosum* probris afficiunt" (n. 11. 3. p.).

Data opera.

1) "*Data opera*", non ergo, si obiter tale quid effutiunt. Quia enim, contra ac detractio, et perversio conceptus inspirationis, *probra* etiam uno verbo effutiri valent, sapiens Legislator expressit clausulam *data opera*, qua solos attingit libros qui probris afficerent vel in notabili parte, vel ita, ut ex modo et frequentia appareret hoc esse ratum statutumque scriptori, arripere in libro omnem ansam hæc faciendi. Gallice dixeris: *c'est un parti pris*. Cfr. PENNACCHI[1]. Optime HOLLWECK[2]: "es muss diese Tendenz das Ganze oder doch einen beträchtlichen Theil beherrschen". PLANCHARD[3]: "qui décrient de parti pris".

Quid ecclesiastica Hierarchia.

2) "*Ecclesiasticam Hierarchiam*": sacram in varios gradus distributam potestatem, sive Ordinis, sive Jurisdictionis. Casus fuerit v. gr. si injuriis lacessas ordinem Sacerdotalem, Episcopalem, Summum Pontificatum.

Status cler. aut religiosus, est ut sic *lacerandus.*

3) "Statum *clericalem* vel *religiosum*": ut *sic*[4], non v. gr. si mere talem Ordinem religiosum his afficias.

7

VII. — Libri qui docent vel commendant artes superstitiosas (art. 12.)

Damnantur libri "in quibus *sortilegia*, *divinatio*, *magia*, *evocatio spirituum* aliæque *hujus generis superstitiones docentur* vel *commendantur*" (art. 12).

Quid sortilegium.

1) *Sortilegium*, est divinatio per sortes, seu quæ exercetur inspiciendo quomodo succedat actio quædam a te in finem obtinendæ indicationis facta: ut si, ex hac intentione, ideo taxillos projicias, observes quid occurrat aperiendo librum eo loco quem fors obtulerit, inæquales festucas proponas etc. Cfr. S. TH. 2a 2æ q. 95 art. 3.

---

[1] *A. S. S.* l. c. n. 49, 3, p. 214. — [2] p. 34 nota 3.
[3] *Rev. th. fr.* l. c. n. 43.
[4] Ex gr. si diceret Ecclesiasticam Hierarchiam ambitioni viam aperire. statum religiosum otio, clericatum ambitioni, avaritiæ, superbiæ, etc." PENNACCHI l. c.

2) *Divinatio*, illud genus superstitionum designat, quibus quis, ope dæmonis expresse aut tacite (si serio utaris medio inepto) invocati, vult *nosse* res contingentes et libere futuras, aliterve occultas et sibi impervias. Huc ergo veniunt *præstigia*, *pythones*, *oniromantia*, *geomantia*, *haruspicia*, *auguria*, etc. *Divinatio,*

3) *Magia*, illas potius complectitur superstitiones quibus quæruntur *miri effectus* (propter vanæ curiositatis satisfactionem) : variæ corporum immutationes, etc. *Magia;*

4) "*Evocatio spirituum*", nempe animarum corpore separatarum. Nam si expresse velis dæmonem apparere, habetur divinatio quam vocant præstigium. De illa porro evocatione scribunt B. P.[1] : "Constat fide Deum nolle animas defunctorum ab hominibus evocari... Hæc est Ecclesiæ certa doctrina". *Evocatio spirituum.*

Huc facit recens responsum S. OFF.[2] quo reprobatur praxis alicujus qui, protestando se respuere omne commercium cum dæmone, jam ipsas animas defunctorum evocare tentabat.

5) "*Aliæque hujus generis superstitiones*". Eæ ergo erunt quæ huc tendunt ut occulta patescant, mira patrentur, cum spiritibus animisve separatis commercium ineatur. Satis superque hoc articulo attingitur hodiernus noster *spiritismus*. *Hujus generis superstitiones.*

6) "*Docentur*" seu quasi ars traditur, non quidem ea simulandi (nam fraudibus plerumque consistunt), sed ea exercendi : etsi scriptor conscius sit vanitatis mediorum. Hac de causa reprobatur liber *Thalmud* et *Magazor* (Machsor)[3]. *Quandonam docentur;*

7) "*Commendantur*", non si mere referantur facta "spiritismi" etc. Rursus autem oportet ut hæc satis fuse fiant, ob rationem datam hic. *commendentur.*

4 1.

VIII. — Libri qui duellum, suicidium vel divortium licita statuunt (art. 14, 1a p.) 8

(*Art. 13 cfrs. n. 14 p. 69 sqq.*)

Titulo retulimus ipsas voces art. 14, 1 partis; "Libri qui *duellum*, *suicidium*, vel *divortium licita* statuunt".

[1] Tr. 6 s. 1 n. 99. — [2] 30 Mart.—1 April. 1898. — [3] HOLLWECK op. cit. p. 34 nota 4.

Quid duellum. Quæn. hic attingantur.

1) " *Duellum* " privata nempe auctoritate suscepta : cum constet alia honestari posse. Duellum porro est duorum (vel paucorum, numero parium) certamen *periculosum*, quod *ex condicto*, seu ex præviante quadam pactione de *loco*, *tempore*, atque etiam, saltem ut fert usus, de *armis*, iisque *letalibus*, suscipitur. Periculosum dicitur, quatenus inferat periculum vitæ, mutilationis, aut saltem gravis vulneris.

Quid suicidium;

2) " *Suicidium* ", seu *directa* sui occisio, propriâ auctoritate facta.

Divortium.

3) " *Divortium* ", acceptione hodierna nempe, seu *perfectum*, quo designatur sacrilegum tentamen abrumpendi vinculum matrimonii, etiam consummati, ita ut facultas daretur novum ineundi conjugium, vivente comparte.

Quid si dicantur licita per accidens.

4) " *Licita* " : sive per se, sive, ex clara mente Legislatoris qui voluit catholicam doctrinam tueri, etiam *ullo casu* seu per accidens.

Quandonam statuantur *licita.*

5) " *Statuunt* " i. e. non mere asserunt, sed contendunt ita esse, seu demonstrare conantur [1]; idque ea amplitudine quæ satisfaciat inscriptioni capitis. Cfr. p. 59, 4 1).

9

IX. — Libri qui de sectis massonicis vel hujus generis agentes, eas utiles esse contendunt (art. 14, 2ª p.)

" Qui de *sectis massonicis* vel *aliis ejusdem generis societatibus agunt*, *easque utiles* et non perniciosas Ecclesiæ et civili societati esse *contendunt* ". Ita litera proscriptionis.

Oportet ut agant *de his.*

1) *Qui agunt :* ita ergo ut hujusmodi sectæ sint vere argumentum (etsi forte non unicum) libri. Non sufficit ut incidenter de iis sermo fiat. Cfr. et p. 59, 4 1).

Ut tq. utiles prædicent.

2) " *Easque utiles .. contendunt* ". Oportet ergo ut *simul* innocuæ prædicentur, seu non sine vi (quasi demonstrando) affirmentur : contendere enim est vehementer, acriter affirmare.

Quid, secta, societas ejusdem generis ac massonicæ.

3) " *De sectis massonicis*, vel *aliis ejusdem generis societatibus* ". *Secta* designat societatem personarum quæ eamdem profitentur doctrinam. Quænam autem sectæ ejusdem generis dicendæ sint ac *massonicæ*, operæ pretium est accurate perpendere. Tales profecto non sunt sectæ *mere religiosæ* ut veterum catholicorum. Cfr. AVANZ.-PENN. T. I, p. 618.

Requisitæ autem notæ eruendæ sunt, tum ex acceptione

[1] Cfr. GENNARI l. c. p. 40.

communi, tum ex documentis S. Sedis. Qua in re principem locum occupat Encycl. *Humanum genus* gloriose regnantis Pontificis, data 20 Aprilis 1884. Ex his necesse est :

Notæ generice sunt :

a) Ut secta sit aliquo modo *secreta* vel *occulta*. Ad genus enim societatum clandestinarum sectas massonicas pertinere, atque hujus generis efficere notissimam speciem, probat tum acceptio vulgaris, tum perpetuus usus documentorum S. Sedis [1] ; et recens adhuc agnoscitur in Synodo provinciali *Ruthena* c. 6 art. 2 [2]. Nec obstat quod in C. *Apostolicæ Sedis* [3] hujus generis videantur dici " societates quæ contra Ecclesiam vel legitimas potestates *seu palam seu clandestine* machinantur ". Nam, ex ipso LEONE XIII, in Encycl. *Humanum genus* [4], hodie sectæ Massonum " Ecclesiæ sanctæ perniciem *palam apertcque* moliuntur ", et infra tamen subjungitur : " re penitus perspecta genus *societatum clandestinarum*, moremque retinent ". Quod deinde perbelle demonstratur. Qui enim socii, qui duces sint, plane adhuc latere potest. Et aperta vel clandestina machinatio fortasse referri potest ad scopum quem aliæ sectæ profitcantur, aliæ potius occultent. Reapse enim debuit S. C. respondere 21 Aug. 1850 [5], parum referre quod *profiterentur* se nihil adversari religioni vel civili reipublicæ.

Secta secreta;

Non tamen requiritur secreti *juramentum* [6], aut *ritus initiationis*.

[1] Sic eas describit CLEM. XII, C. *In eminenti* 1738, " in cujuscumque religionis et sectæ homines, affectata quadam contenti honestatis naturalis specie, arcto æque ac impervio fœdere secundum leges et statuta sibi condita invicem consociantur, quæque *simul clam operantur*... " " Altera (causa cur damnentur) est arctum et impervium *secreti* fœdus, quo occultantur ea quæ in hujusmodi conventiculis fiunt ". BENED. XIV, C. *Providas* 18 Mart. 1751; PIUS VII, C. *Ecclesiam a Jesu Christo* 15 Sept. 1821, vocant eas, " *occultos* cœtus, *clandestinasque* sectas ". Eadem appellatio " *clandestinarum sectarum* " passim occurrit in C. *Quo graviora* 13 Mart. 1825 a LEONE XII contra Massonicas sectas lata. S. OFFICIUM, volens 5 Aug. 1846 definire quænam sectæ damnarentur in pontificiis Constitutionibus, dictione : *societates occultæ* eas in initio compellat. Et in Encycl. *Quanta cura* 8 Dec. 1864 vocantur etiam " *clandestinæ sectæ* ". Utique 1884. S. OFF. (Coll. *Prop. Fid.* n. 1865, in apposita Instructione declaravit non requiri *secreti jusjurandum*, sed in ipso articulo agit de denunciandis *occultis coryphæis* : quod jam innuit quamdam secreti rationem.

[2] Cfr. *Archiv.* T. 78, p. 72, 73. — [3] 2æ seriei, 4ª excomm. — [4] Sub initio.
[5] Responsum citatur ab AVANZ-PENN. T. I, Append. 19 p. 615.
[6] S. OFF. 1846 et 1884. *Coll. Prop. Fid.* l. c.

N. 139.

Arctum fœdus:

b) *Ut arcto fœdere* socii uniantur. Hæc nota etiam perpetuo recurrit in Documentis pontificiis [1]. Ex CLEM. XII "arcto ac impervio fœdere... consociantur"; et LEO XIII cit. Encycl. ipsis objicit quod obligent "sibi homines, tanquam mancipia, tenacissimo nexu, nec satis declarata causa".

Scopus directe contrarius Ecclesiæ vel legitimo ordini politico.

c) Ut *ex scopo suo* [2], quem aperte vel clam intendant, *ipsæ sectæ*, non tantum quidam ex sociis vel ducibus, probentur "adversus Ecclesiam et civiles potestates" eversionem pacis et felicitatis Ecclesiæ, turbas, seditiones sibi proponere [3]. Eæ enim sunt sectæ "quæ adversus Ecclesiam vel gubernium sibi aliquid proponunt" [4]; "quæ contra Ecclesiam vel legitimas potestates machinantur" [5]; quæ volunt "evertere funditus omnem eam quam instituta christiana pepererunt, disciplinam religionis reique publicæ, novamque ad ingenium suum exstruere, ductis e medio *Naturalismo* fundamentis et legibus" [6].

Plures ergo esse possunt sectæ sub gravi reatu prohibitæ, quæ tamen hujus generis non sunt. Cfr. resp. S. OFF. 17 Maii 1886, unde patet societates quæ ad promovendas cadaverum cremationes institutæ sunt, non *necessario* massonicis accenseri.

Exempla varia.

Porro hujusmodi sectæ sunt: soc. "*Fenianorum*" ex decl. S. OFF. 12 Jan. 1870 [7], "*Carbonaria*" [8], "*Mazziniana*", "*Nihilistarum*", "*Anarchistarum*" qui novis rebus student (révolutionnaires); non autem societas *latronum*, cum non dirigatur adversus *potestates* civiles.

9 bis

Quid de socialistis?

Quid *de socialistis?*

Observandum est, inter eos qui hoc nomine veniunt, alios esse Socialistas *absolutos*, qui omnes istos errores profitentur, quos LEO XIII exponit C. *Quod Apostolici* [9], atque etiam vi et armis parati sunt causam suam promovere; dum alii *mitigatum* quemdam seu partialem tenent socialismum, et mediis tantum legalibus se usuros asseverant ad paulatim sua placita practice inducenda.

Insuper, quoad rationem conjunctionis, possunt manere

[1] Constitutiones istæ referuntur apud AVANZ.-PENN. T. I, p. 596 sqq., seu Append. 19.

[2] "Ex scopo quem sibi proponunt, non aliunde judicari debent". d'ANNIBALE in commentario *Reatino C. Apostolicæ Sedis* n. 82.

[3] LEO XII, cit. Const. — [4] S. OFF. 5 Aug. 1846. — [5] C. *Apostolicæ Sedis* et Instr. S. OFF. 10 Mai 1884. — [6] LEO XIII, C. *Humanum genus*. — [7] *Coll. P. F.* n. 1860. — [8] Ex C. PII VII. — [9] 28 Dec. 1878.

singuli, ut diu fuerunt in Anglia[1]; vel uniri instar *factionis politicæ;* vel tandem in arctissimam *sectam*, eamque *occultam*, conflari.

His positis, qui in sectam, ea qua expositum est ratione occultam, *absoluti* socialismi coadunantur, profecto habendi sunt ut pertinentes ad societatem generis massonici : non tam ex sua cum religione catholica oppositione, quam ex scopo suo cujuslibet "civilis societatis fundamenta convellendi"[2].

Alii contra, præsertim ex eo quod nullam occultam sectam efficiunt, nec arcto vinculo conjunguntur, extra illud genus vagari videntur.

Quare *absolutæ* affirmationi, quam dedit *Nouv. Revue théol.*[3], GENNARI[4], et etiam PENNACCHI[5], non videtur esse locus; sed quæ cujusque regionis sint adjuncta socialismi videndum est; atque in dubio judicium Ordinariis locorum permittamus. Imitemur potius prudentiam S. Sedis, quæ de multis societatibus in quas coguntur operarii Stat. fœder Americæ, et valde affines videntur massonicis, ita ut interdum funera civilia imponant asseclis, noluit illud definire. De pluribus Episcopi Americani dividuntur. Cfr. literas C. MONACO, 20 Aug. 1894[6], et citatam syn. prov. *Ruthenam*[7].

Quid in Belgio,

In *Belgio* in duas partes abierunt socialistæ. Alii *Marxistæ*, quorum diarium est *le Peuple*, declarant se nolle uti nisi mediis legalibus. Alii *Anarchistæ*, qui possident ephemeridem *la Bataille*, aperte appellant novas res "la révolution". De cœtu quem efficiant, interrogavimus plures tum theologos, tum scientiæ œconomicæ peritos. Ad unum nobis responderunt, socialistas in Belgio a se haberi pro *factione politica* (un parti) potius quam videantur esse secta.

Nobis autem, pro sua sapientia et doctrina, istud facile dabit cl. PENNACCHI, in hac præsertim quæstione facti

---

[1] Cfr. P. VERHAEGEN, *Les socialistes anglais*, Gand, 1898, Imprimerie *Het Volk*.

[2] C. *Quod apostolici* initio. — [3] T. 28, p. 178, 179. — [4] *Monit.* l. c. X, p. 40. — [5] *A. S. S.* l. c. n. 52, a p. 299.

[6] *N. R. Th.* T. 27, p. 603. Causa agebatur trium societatum : *Odd Fellows, Sons of Temperance, Knigts of Pythias*. Eas reprobavit S. OFFICIUM, abstinuit tamen applicatione excommunicationis latæ contra sectas generis massonici.

[7] *Archiv.* l. c. p. 72, 73.

contingentis et mutabilis, non ex appellatione aliqua ante viginti annos in Enc. *Quod Apostolici* usurpata, firmum pro sua thesi hauriri argumentum. Et ex eo quod ibi de *Socialistarum*, *Anarchistarum* et *Nihilistarum* tanquam de una secta sermo fit, consequens quidem est reperiri Socialistas qui nomine tantum differant ab Anarchistis etc.; non autem *omnes* esse et *perpetuo* fore hujusmodi sectæ partes vel membra!

10 X. — **Libri qui tuentur errores proscriptos ab Apostolica Sede.** (art. 14, 3ª p.)

"Qui *errores* ab *Apostolica Sede proscriptos* tuentur". (art. 14, 3ª p.)

Quid errores. Apostolica Sedes.

1) "*Errores*": propositiones damnatas saltem ut erroneas.

2) "*Ab Apostolica Sede*": a Summo Pontifice vel immediate, vel mediante Romana Congregatione, nempe S. Officio[1].

Inter hos recensendi sunt libri qui tuentur vel propugnant *errores* damnatos a Syllabo. S. C. INDICIS 19-23 Maii 1898 ad 2. Cfr. Append. II.

Tueri.

3) "*Tuentur*": non mere asserunt, sed vindicare satagunt; cum sufficienti copia verborum, ut obtineat inscriptio capitis 5. Cfr. 13, 4, 1).

N.B. Quandonam committatur excommunicatio.

N. B. Qui doceat aut defendat propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub pœna excis latæ sententiæ, aut licitam esse praxim exquirendi nomen complicis, ut damnatum erat a BEN. XIV, committunt exc. l. s. simpliciter reservatam R. P. (C. *Apcæ Sedis*, 1ª exc. 2æ seriei.).

Art. II. — Libri minus universaliter prohibiti.

Alii *de se liciti*, ex cujusdam conditionis defectu, generali prohibitioni fiunt obnoxii, alii de se *suspecti*, aut *prohibiti*, si quædam conditio obtineat, omnibus, aut certis personis permittuntur.

[1] Nobiscum PENNACCHI, *A. S. S.* l. c. n. 52, p. 308, 309. Ceterum 13 Jan. 1892 (*N. R. Th.* T. 24, p. 170) ad secundum, respondit S. OFFICIUM, per acta profecta a Sede Apostolica designari acta "quæ mediate" ab ea, seu media S. Congrne proveniant. Quod autem, ut asserit cl. PLANCHARD, *Rev. th. fr.* l. c. n. 53, non comprehendatur propositio damnata a Conc. œcumenico, id minime videmus. Et solent hujusmodi Concilii decreta promulgari per Constitutionem pontificiam.

§ 1. — *Qui de se liciti, defectu conditionis cujuspiam vetantur.* 14

De se liciti, si quædam conditio defuerit, omnibus vetantur :

I. — Libri aut scripta quæ referunt nova facta supernaturalia (art. 13, 1ª p.) 1

" *Libri* aut *scripta* quæ narrant *novas apparitiones, revelationes, prophetias, miracula, si publicentur absque legitima Superiorum Ecclesiæ licentia* " (art. 13, 1ª p.)

De jure antiquo circa relationes miraculorum etc.

1) In priore ergo sua parte respicit articulus ad relationem novarum apparitionum... miraculorum [1]. Ampliatque dispositionem juris superioris, quo ex decretis URBANI VIII [2] et S. OFFICII, prohibebantur libri qui facta mirabilia Servorum Dei nondum beatificatorum exhiberent, nisi approbati ab Episcopo fuissent, et duplici instructi protestatione [3]. Imo, in rigore juris, ut ibi apparet, Ordinarius prius de re ad S. Sedem referre debebat; quod tamen obsolevisse, testatur DE BRABANDERE n. 659.

Declaraverat idem Pontifex, 5 Jun. 1631, ut qui vitam describendo Servi Dei, hunc *Sanctum* vel *Beatum* nuncupasset, libro apponeret protestationem " quod his nulla adsit auctoritas ab Ecclesia romana sed fides tantum sit penes auctorem " [4]. Quod satis bene vidimus a scriptoribus catholicis observatum.

---

[1] Non raro ipsa vox *miraculi* adhibetur, latiore quodam sensu, ad designandam gratiam " quæ ex aliqua temporis, loci vel personæ circumstantia miraculi speciem præ se fert " BEN. XIV, De Beatif. et Canoniz, l. 4 p. 1 c. 1 n. 13. Quam tamen gratiam ibidem docet a miraculo distingui. Etsi enim, invocato quodam sancto, citius v. gr. quam sperabas convalueris, non affirmas tamen formaliter esse miraculum, nisi negaveris effectum illum tribui posse ulli naturali virtuti, puta remediorum quibus fueris usus.

[2] C. *Sanctissimus* 13 Mart. 1625, confirmata per Breve *Cœlestis Hierusalem* 5 Jul. 1634. *Bullar. R.* T. 6 p. 1 n. 449.

[3] Cfr. BEN. XIV *De beatificatione et canonizatione* l. 2 c. 11 a n. 6 et c. 12. n. 6, ubi datur textus protestationis.

[4] Cfr. BEN. XIV. *De Beatif. et canoniz. etc.* l. 2 c. 12. n. 2, 3, 4. Errat autem DILGSKRON *Anal. ecc.* 1897 p. 88, cum per declarationem 5 Jun. 1631 temperatum asserit jus C. *Sanctissimus* de narratione miraculorum, et cum, post ARNDT n. 205 p. 289 quem hic videtur imitatus esse, provocat ad C. *Sacrosancta Synod. Trid.* 15 Martii 1642 quæ plane

Num adhuc viget.

Quidquid sit, jus illud URBANI VIII, *quatenus protestationes exigit*, censemus nunc abrogatum, ex canone generali supra, n. 5, dato. Est enim jussum Pontificis de censura librorum. Et solutio confirmatur ex eo, quod in hac re, art. 32, expresse innovatur dispositio qua exigitur approbatio *S. Rituum C.* ad publicandum ea quæ ad causas Beatificationis spectant. Rursus non juvat cum J. V. *N. R. Th.*[1] confugere ad principium "correctionem juris esse odiosam", dum hic potius, ut finis Constitutionis obtineatur, valet illud: "Quod lex non distinguit, neque nos distinguere debemus"[2]. Nobiscum GÉNICOT[3], et, ut videtur, HOLLWECK[4], et DILGSKRON[5], qui exponentes præsens jus edendi libros, has Urbani VIII sanctiones plane prætereunt. Contra tamen PLANCHARD[6] et PENNACCHI[7].

Explicatio literalis. Quæn. opera attingantur.

2) Ut vero ipsum tenorem articuli aliquantum declaremus:

a) "*Libri* aut *scripta*" Omnis ergo molis aut formæ, modo tamen publici fiant juris ("*si publicentur*").

An hic attingantur *manuscripta?* Negat GÉNICOT[8]; affirmat HOLLWECK[9]. Quod certum est, plerumque non fient publici juris nisi typis impressa. Cfr. dicta n. 99 C.

Quandon. narrare censeantur. Quid de ephemeridibus.

b) "*Quæ narrant*" non obiter, sed ita ut hujusmodi narratio eorum sit argumentum. Cfr. supra n. 13, 4 1). Hac de causa arbitramur posse ephemerides catholicas sed profanas, ut hucusque fecerunt, referre facta mirabilia, sanationes, quæ v. gr. in peregrinatione Lapurdensi contigerint: præsertim si nihil de supernaturali harum indole pronuncient. Ceterum et istis favet hæc altera ratio, quod sat in nostris partibus obtinet usus, vi cujus, ob difficultatem "exsecutionis," ut aiunt, a censura dispensentur articuli, per se recognoscendi ab ecclesiastica auctoritate[10]. Sine cogente ratione, non est reprobandum quod passim frequentatum videmus[11].

---

diversi est argumenti: agit enim de forma et habitu sacrarum imaginum. Cfr. *B. R.* T. 6 p. 2 n. 700. Quæ difficultas bene exponendi jus superius satis confirmat, ni fallimur, nostram sententiam qua sublatas existimamus solemnitates istas minus hodie necessarias, et magis a moribus nostris alienas.

[1] T. 30, p. 109 — [2] GENNARI, *Monit.* l. c. p. 40, § 14.
[3] Op. cit. I, 453, 3. — [4] pp. 35, 44, 52, 55, — [5] *Anal. eccl.* p. 226 sq.,
[6] *Rev. th. fr.* l. c. n. 47. — [7] *A. S. S.* l. c. n. 51, p. 223.
[8] Op. cit. I, 454. — [9] Op. cit. p. 35. — [10] GÖPFERT, p. 321 d.
[11] Confirmatur a GÉN. op. cit. I, 453, 3; HOLLWECK. op. cit. p. 44, nota 3; PENNACCHI, *A. S. S.* l. c. n. 51, p. 289.

c) "*Novas apparitiones, revelationes*, etc." : non ergo illas quæ passim jam laudantur in Ecclesia. Ita v. gr. revelationes SS. Cordis factæ B. Margaritæ Mariæ, apparitiones Lapurdenses. Hujusmodi tamen libri obnoxii erunt præviæ censuræ ex art. 41. *Quid novæ apparit. etc.*

Igitur, ex scopo articuli, pro novis apparitionibus accipiendæ nobis videntur, non tantum eæ quæ recens contigerint, sed quæ legentibus, audientibus sint novæ, quatenus in Ecclesia nondum sint formali decreto vel usu receptæ.

d) "*Si publicentur*". Publicare, non est tantum cum quibusdam personis selectis quid communicare, etsi sint sat numerosæ, sed "*publici juris facere*" [1], "venale exponere, aut in vulgus quomodocumque spargere". PENNACCHI [2]. *Quid publicare.*

e) "*Absque legitima superiorum Ecclesiæ licentia*". Quinam sunt? Hic probabiliter, indefinita illa locutione, rejicimur ad jus antiquum. Si agitur de inspirationibus vel prophetiis *viventium* personarum, de lege ordinaria, ait PLANCHARD [3], est S. Sedes adeunda. Si *ad causas beatificationum* etc. spectant, *S. Rituum C.* est licentia impetranda. Hujus ergo jura intacta servamus [4]. *Pro ceteris* Episcopus est competens. *Quinam Superiores dent legitimam licentiam.*

II. — Libri aut scripta quæ novas inducunt devotiones 2
(art. 13, 2ª p.)

Altera pars art. 13 cavet ne imprudenter novæ inducantur devotiones. Vetat enim *libros aut scripta*... "*quæ novas inducunt devotiones, etiam sub prætextu quod sint privatæ, si publicentur absque legitima Superiorum Ecclesiæ licentia*".

1) "*Libri aut scripta*". Non refert ergo qua forma aut mole edantur. *Quid libri aut scripta.*

2) "*Quæ .... inducunt*" quatenus non mere referant, sed eas suggerunt, suadent, vel ad vulgandam devotionem apparent confecta. (Ecrits, feuillets de propagande.) *Quæ inducunt*

Devotiones, sunt rationes exercendi virtutem religionis, seu colendi Deum vel sanctos. *Devotiones*

[1] Constit. art. 35. — [2] *A. S. S.* l. c. n. 38, p. 163.
[3] N. 47. l. c. Et citat LEONIS X Const. *Supernæ Majestatis*, § 7.
[4] Videtur in hac re cl. PENN. non bene mentem nostram fuisse assecutus.

novas.

Novæ censentur quæ nondum usu invaluerunt. Nobiscum PENNACCHI, l. c. n. 51 p. 292.

Nova porro esse potest devotio, vel *ex objecto* immediato : v. gr. erga cor S. Joseph, aliquam humanitatis Christi partem hucusque non specialiter honoratam ; vel *ex modo*, ut si cingulum invenias S. Aloysii ; si, ex prætensa quadam visione, cœperis proponere *S. Catharinam* in patronam eorum qui vehuntur rotis istis quibus nomen "*vélocipèdes*". Cfr. *Cosmos* Août 1897, p. 164-166, etc.[1] Non autem nova devotio erit, si consuetas quasdam in Ecclesia preces per novem dies proponas recitandas in honorem alicujus sancti ; vel ex approbatis precibus "hebdomadam, mensem conficias, commentariis exornes explicesque"[2]. Si tamen velis primo consecrare mensem aut certas dominicas colendo alicui sancto, hanc existimamus novam devotionem.

Semel et iterum jam antea S. Sedes fidelium mentes revocaverat a sectandis his novitatibus, scriptoresque monuerat "ut perpenderent periculum quod subest pertrahendi fideles in errorem etiam circa fidei dogmata, et ansam præbendi religionis osoribus ad detrahendum puritati doctrinæ catholicæ, ac veræ pietati". S. OFF. Monitum gen. adjectum decr. 13 Jan. 1875, denuo inculcatum 3 Jun. 1891 et 3 April. 1895[3].

Non refert qua ratione exercendæ.

"Etiam sub *prætextu* quod sint privatæ". Non refert ergo qua ratione sint exercendæ.

Quis dabit legitimam licentiam.

"Si *publicentur absque legitima licentia*". Hanc quandoque dabit Episcopus, quandoque sola S. Sedes : ut si spectent ad sacros Ritus.

Approbata autem ab uno Episcopo, per se diffundi possunt in alias diœceses. Id eruimus ex canone generali quem referimus n. **24**. Sed si nova illa devotio videatur alii Anti-

[1] Sic improbata sunt : festivitas de sanguine sacratissimo Mariæ ; titulus "*N. D. du S. Cœur*" explicatus per imperium in ipsum Filium ; emblemata S. Cordis Jesu in Eucharistia ; titulus *Amici S. Cordis* datus S. Joseph ; certa ratio honorandi Vultus Redemptoris, ut objecti distincti ; titulus *D. N. J. C. Pœnitentis ;* oratio pro imperio Christi et Mariæ Immaculatæ super omnes creaturas (S. OFF. 1875, 1891, 1893, 1895) ; et recentius scripta quæcumque, etiam non typis impressa, modo tamen propagarentur, de cultu privato divinarum manuum Redemptoris. Cfr. decr. C. INDICIS 19 Apr. 1896, referens decr. S. OFF. 6 Febr. 1896. *A. S. S.* T. 28 p. 640.

[2] PENN. *A. S. S.* l. c. n. 51 p. 292.

[3] *N. R. Th.* 7. p. 205 ; 24. p. 382 ; 27. p. 488 sq.

stiti inopportuna, contra eam exercere poterit suam facultatem proscribendi opera in sua diœcesi edita vel diffusa.

III. — Novæ editiones librorum liturgicorum difformes ab authenticis (art. 18). 3

(art. 14, cfrs supra n. 13, p. 63-68; art. 15, n. 20, p. 92; art. 16 et 17 n. 19, p. 91).

"In *authenticis* editionibus *Missalis, Breviarii, Ritualis, Cæremonialis Episcoporum, Pontificalis romani*, aliorumque *librorum liturgicorum* a Sancta Sede Apostolica approbatorum, nemo quidquam immutare præsumat : si secus factum fuerit, hæ novæ editiones prohibentur". Ita habet art. 18.

Quid authentica editio.

1) *Authentica* editio, illa est quam publica potestas, quæ hic est S. Sedes, ita probat ut eam aliquo modo faciat suam. Ita obvius sensus, ita communis significatio authentiæ, ita omnes quos vidimus hujus Constitutionis interpretes. Designat ergo exemplar illud typicum, ad normas CC. Summorum Pontificum confectum, et quod aliæ editiones imitari debent ; aliis verbis "originale sumptum S. Rit. Congregationis, vel exemplar typographiæ cameralis authenticum manu Secretarii ipsius S. Congregationis firmatum et sigillo obsignatum" [1]. Non sufficit ergo ad authentiam conferendam libris liturgicis, licentia edendi facta ab Ordinario, et testificatio de conformitate cum exemplari typico.

Quia autem repugnat ut eadem editio sit authentica simul et corrupta, dictio : *in authenticis editionibus*, idem sonat atque : *in textu authentico*, vel etiam : *in libris quorum exstat authentica editio, et qui destinantur usui liturgico.*

Alii libri liturgici.

2) *Alii libri liturgici*, sunt v. gr. Horæ diurnæ, Officia Hebdomadæ sanctæ, Beatæ Mariæ Virginis etc. Non tamen liturgici reputantur libri devotionis privatæ in quibus, pro fidelium commodo, quædam partes Missalis vel Breviarii continentur una cum variis aliis precibus. Quare, vigente adhuc jure superiore, communem tantum solebant referre approbationem Euchologia quæ exhibebant Ordinarium Missæ, Vesperas Dominicæ, Officium Defunctorum. Hæc reguntur art. 20.

[1] DILGSKRON *Anal. eccl.* 1897 p. 87 fine.

Quænam agatur immutatio

3) *Immutatio* de quâ agitur in articulo, fit non in ipso exemplari authentico[1], sed, ut in fine dicitur articuli, in *novis editionibus* quæ discrepent ab authentica, et quæ profecto non erunt authenticæ. Ita omnino PALMIERI in hunc locum.

Et quia textus est: "nemo *quidquam* immutare *præsumat*", simul ex una parte etiam leves immutationes attenduntur[2]; aliunde excusantur involuntaria "errata"[3].

Non tamen mutatus censetur textus authenticus, quia in nova editione, suis locis, plura quam in authentica extenduntur et repetuntur in commodum utentium.

Sanctio prohibitionis.

4) "*Si secus factum fuerit hæ novæ editiones prohibentur*". Dictio illa simpliciter prolata, accipi debet sensu quem nº **11** exposuimus. Non tantum ergo prohibemur usu liturgico vel horis canonicis ex hujusmodi editione persolvendis, verum etiam simplici lectione, retentione etc.

Quid, si editiones conformes. Quoad usum privatum.

Si vero fuerint novæ editiones conformes exemplari typico, ipso obvio sensu docemur libros istos, *in usum* saltem *privatum* adhiberi posse. Signandi tamen sunt approbatione Ordinarii, non concedenda nisi constet de illa conformitate. Quatenus enim privato usui destinantur, considerandi sunt ut *libri practici devotionis;* atque etiam ut *novæ editiones operis*, quod adeo obnoxium est censuræ, ut exemplar typicum non possit nisi ex S. Rituum Congregationis auctoritate vulgari[4]. Jam vero, ex art. 20 et 44, utroque titulo exigitur approbatio prævia; atque ex priore capite sanctio hujus necessitatis est ipsa libri prohibitio. Hucusque de usu privato.

---

[1] In hac re plane decepti sunt scriptores *Ephemeridum liturgicarum*, cum (1898 p. 207) scripserint: "Agitur ergo in citato paragrapho de novis editionibus, quæ fiunt super aliis, et quæ declaratæ jam fuerunt authenticæ approbatæque a S. Sede Apostolica". Corruptio hujusmodi authenticæ editionis, Romæ tantum et per typographum privilegiatum, obtentâ approbatione, committi posset! Modicæ tunc utilitatis foret præsens articulus.

[2] PENN. *A. S. S.* l. c. n. 56 p. 338.

[3] Etiam in nonnullis editionibus Urbis menda irrepsisse fatetur S. RIT. CONGR. 26 April. 1834 (*Collect. Pr. Fid.* n. 1875).

[4] Minime ergo consentire possumus in doctrinam cl. PENNACCHI *A. S. S.* n. 56 p. 338, secundum quem novæ istæ editiones nullam jam postularent licentiam prævíam. Quod satis patere arbitramur ex factis rationibus. Neque hoc est gratuitum assertum, ut objiciunt *Ephem. liturg.* 1898, p. 534.

Quoad liturgicum.

Minus autem constat utrum idem dici possit de *usu liturgico*[1] istorum librorum; an contra, in hac parte, vigeant sanctiones superioris juris.

Ex superiore enim jure[2], vetabatur usus Missalium, Breviariorum, partium ex Breviario desumptarum, quæ ederentur sine facultate in scriptis obtinenda in Urbe a S. Rituum Congregatione, et extra Urbem, (deficiente Inquisitore) ab Ordinario loci. Facultas insuper mentionem facere debebat de diligenti collatione cum exemplari typico, et reperta inter utrumque conformitate; atque in initio vel fine libri erat imprimenda.

Porro *pro benigniore solutione*, quæ contendit usum etiam liturgicum regi hac nostra Constitutione hæc faciunt:

a) Libri isti non solent moraliter habere alterum usum quam liturgicum. Ergo, et inscriptio capitis VII, quæ ceterum distinguit libros liturgicos et precatorios, et præsens art. 18 in hunc usum maxime intendunt. Hoc autem posito, nisi velis Legislatorem nostrum arguere imperitiæ, qui dum cogitat præbere omnibus regulas claras et scitu faciles, mancum tantum et imperfectum in hac parte tradidisset jus, quod laboriose ex variis Bullis et Decretis foret supplendum; nisi, inquam, ita absurde opineris, antiquatas dicere debebis præcedentes Constitutiones super eadem re quæ admittitur ex professo attingi Constitutione LEONIS XIII.

b) Huc tandem practice spectat abolitio istius juris, ut jam præteriri possent *speciales* approbationis *solemnitates* quas modo memoravimus[3]. In hoc autem nihil incommodi,

[1] Qua dictione complectimur recitationem Breviarii præscriptam Ecclesiæ ministris.

[2] Pro Breviariis et partibus ex eo desumptis, id constat ex URBANI VIII. Const. *Divinam Psalmodiam* 25 Jan. 1631; pro Missalibus, ex C. *Si quid est*, ejusdem Pontificis 2 Sept. 1634.

[3] Non modica laus est præsentis Constitutionis sapiens discretio, quâ ex suppressis Decretis generalibus (quæ catalogo Indicis ante Mandatum Leonis XII præmittebantur) quædam retinuit, alia autem omisit quæ hodie minus sunt opportuna, vel quorum superflua jam evasit expressa mentio. Ita v. gr. in locum 8 articulorum § IV, substituti sunt articuli 13, 18 nostræ Constitutionis, qui plane intento sufficere videntur. Controversiæ enim de ritibus sinicis, de quibus erat 6 artic. hodie sopitæ, non indigent speciali sanctione. Quod autem attinet ad novas Benedictiones, Exorcismorum formulas, et Rosaria, de quibus erant art. 1, 4, 8: considerari possunt ut ritus publici vel devotiones privatæ. Sub priore aspectu, satis hodie in comperto est ritus sacros esse causam majorem ad S. Sedem exclusive devolutam. Non magis ergo desideratur specia-

nihil exorbitans, cum facile hodie possit Ordinarius novam editionem cum genuina comparare. Plane autem congruit indoli præsentis juris, ut *formæ* servandæ reddantur simpliciores [1].

c) Benigniori huic juri via videtur fuisse parata per decreta [2] quæ minus stricte prohibere cœperunt usum librorum liturgicorum qui carebant formali approbatione.

d) Hanc denique tanquam certam tuentur sententiam doctissimi viri GENNARI [3], PLANCHARD [4], PENNACCHI [5].

Num eæ tamen sunt rationes, quæ plane improbabilem faciant modum opinandi aliorum, qui existimant adhuc vigere Constitutiones URBANI VIII? Id minime arbitramur [6], modo ad *usum liturgicum* velint contrahere vim suæ sententiæ.

Constitutiones enim prælaudatæ scriptæ sunt ad cavendum ne corrumperetur formula precandi et litandi quam adhibet Ecclesia. Possit ergo quis existimare eas mere in ordine ad usum liturgicum proscripsisse editiones certis solemnitatibus destitutas [7].

---

lis cautio de illis, quam expresse caveri debeat ne quis privatus condat jus aut legem in Ecclesia. Sub altero respectu, novæ forent devotiones quæ reguntur art. 13. Impune ergo abstinere possumus effatis nimis in jure peregrinis, quibus v. gr. ea quæ conceptis verbis abrogat Leo XIII, dicantur vigere propter decretum, illudque tempore præcedens, S. Congregationis. Quod dolemus propositum esse in optimis *Ephem liturgicis*, p. 583 "Conclusiones illatas..., sic aiunt, inseruimus; quia leguntur in § IV Decretorum Indicis, proindeque *abrogatæ fuerunt, et nihilominus vi Constitutionum aut Decretorum S. R. Congregationis, vigent adhuc*". Simul apparet nullo negotio vitari mira consectaria quæ objiciuntur benignæ opinioni de qua in textu. Fas nobis sit hæc, salva earum existimatione et ex veritatis studio, animadvertere in humanissimam responsionem, quam, pp. 521-534, dederunt *Ephem. liturgicæ* ad alteram ex binis notis, quibus, in superiore editione, p. 71, 72, improbaveramus earum rationem dicendi.

[1] DILGSKRON, *Anal. eccl.* 1897, p. 228.

[2] Cfr. S. RIT. CONGR. Decr. gen. 26 April. 1834, iterum et tertio inculcatum 18 Feb. 1843, et 27 April. 1847 (GARDELLINI n. 4730, 4957, 5066, et concil. *Avenionensis* tit. I c. 6 quod refert LEHMK II. 232.

[3] *Monit.* l. c. X p. 67, 68; — [4] *Rev. Th. fr.* l. c. n. 65. — [5] *A. S. S.* l. c. p. 338.

[6] Rursus ergo notent *Ephem. liturg.* nos animo non prævoccupato hæc volvere, minusque earum conclusioni quam argumentis refragari.

[7] Merito tamen objici possit in C. *Quamvis* URBANI VIII (16 Jun. 1634), verbis absolutis prohiberi Pontificalia quæ ederentur sine speciali facultate etc.

Tunc autem, jam viderentur aliud versare argumentum quam nostra Constitutio, quæ est de *prohibitione et censura librorum in genere*, non autem de moderando quorumdam usu peculiari. Neque necessario infirmarentur clausulâ, quâ LEO XIII supprimit quodvis aliud jussum Summorum Pontificum "*de hac re*" (i. e. de objecto novæ Constitutionis). Imo, quantum licet privato scriptori hæc conjicere, sat verisimile videtur fore ut S. Rituum Congregatio [1] de dubio isto interrogata, ad hanc posteriorem sententiam accommodet suam responsionem.

Quid si recites ex editione prohibita.

Quid *si recites Breviarium adhibendo prohibitam editionem?* Quia non est inducenda sanctio quam non expressit lex, videris valide recitare, seu satisfacere obligationi, modo recites juxta formam præscriptam. Cfr. *Monitore* VIII. 2 p. 209. Adhibitio enim Breviarii approbati non pertinet ad *intrinsecam* rationem obligatæ rationis, cum possis memoriter persolvere Horas.

Quia tamen peccatum *actuale* grave destruit actualem orationem etiam vocalem, solutio ista non valet practice, nisi bona fide, oblivione, parvitate materiæ recitaveris sine conscientia letalis noxæ.

IV. — Libri practici devotionis aut institutionis religiosæ vel moralis (art. 20). 4

(art. 19, cfrs. n. 22, p. 98; art. 21 sq. cfr. n. 18, p. 85-90).

Libri aut *libelli* "*precum, devotionis*, vel *doctrinæ institutionisque religiosæ, moralis, asceticæ, mysticæ, aliique hujusmodi* quamvis *ad fovendam* populi christiani *pietatem* conducere videantur.... *præter legitimæ auctoritatis licentiam*" publicati" inhibentur art. 20.

Quid libri, libelli.

1) Observes attingi *libros* aut *libellos*, non tamen *folia* aut *scripta*. Ita et PENNACCHI, n. 58.

Quinam comprehendantur prohibitione.

2) Opera porro aguntur, ut constat ex allatis exemplis, et verbis "quamvis ad *fovendam* populi christiani *pietatem*, etc.", quorum scopus est immediate practicus, non doctrinæ expositio, et refertur ad institutionem religiosam aut moralem : Euchologia ergo, catechismi stricte tales, aut latius

[1] Quod autem in novissima Rituum Collectione inserantur Decreta quæ referuntur ad jus superius, id minime probat dispositiones istas adhuc vigere. Plures enim sunt utilitates istius insertationis, etiam si quædam partes fuerint antiquatæ.

intellecti, seu libelli isti quos nunc non raro loco catechismi, aut simul cum catechismo destinant moribus puerorum informandis (catéchismes de morale); etc. Cfr. PLANCHARD, l. c. n. 70.

Ordinarii permittere valent Euchologia quæ, ut fert usus, continent versiones tum *Epistolarum et Evangeliorum anni*, tum *Ordinis Missæ* (non excluso canone). Prius constat ex consuetudine, alterum indirecte eruitur ex resp. S. RIT. CONGR.[1] quod declaravit hujusmodi libros "eorumque versiones Episcoporum auctoritati reservari".

15 § 2. — *Libri de se suspecti, qui certa lege omnibus aut certis personis conceduntur.*

I. — **Qui certa lege omnibus permittuntur.**

1 A. — *Libri quidam acatholicorum* (art. 3, 4).

Prohibentur *acatholicorum* libri, qui *ex professo* de *religione* tractant, *nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri*".

Ita sonat articulus 3, qui proin indirecte permittit eosdem libros si constet eos nihil hujusmodi continere. Jam vero:

Quid acatholici. 1) "*Acatholici*" *presse sumpti* (quasi sola fide catholica privati) videntur esse soli baptizati, qui per hæresim aut schisma plane a communione catholica reputantur alieni. Ita PENNACCHI[2], GÉNICOT[3], PÉRIÈS[4]. Eæ enim quas retinent veritates christianæ, si majus periculum faciunt ne fideles honesta eorum operum specie decipiantur et seducantur, simul tamen majorem spem dant fore ut interdum quædam argumenta etiam religiosa, v. gr. de Deo, de Christi divinitate, eo modo versent qui etiam catholicis prodesse possit. Digni ergo sunt speciali mentione.[5] Et sapienter, in art. 3, Legislator præsumptionem quidem suspicionis statuit contra libros hæreticorum et schismaticorum qui ex

[1] 4 Aug. 1877. Cfr. *Collectan. Prop. Fid.* n. 1890.

[2] *A. S. S.* n. 41 p. 173, 174. — [3] op. cit. I 52, 3. — [4] op. cit. p. 70.

[5] Alii tamen comprehendunt etiam infideles, apostatas. Ita GENNARI, *Monit.* X p. 17 (nisi quod hic non comprehendit schismaticos); HOLLWECK, op. cit. p. 31; PLANCHARD, *Rev. théol. fr.* l. c. n. 23. Sed priori sententiæ omnino favet epist. PII VI ad Episcopum Pragensem: "Acatholicorum nomine indicantur baptizati omnes, qui sive ob hæresim, sive ob schisma, ab Ecclesia separati sunt". (Citatur a PIAT *N. R. Th* T. 30 p. 54).

professo de religione tractant, admisit tamen hanc præsumptionem elidi posse contraria probatione.

In art. autem 4 sermo fit de acatholicis *quibuscumque*. Hæc vox superaddita, et contexta oratio postulant ut amplissima hic utamur acceptione, complectente Judæos, infideles etc.

Ex professo.

2) "*Qui ex professo*" ita ut religio sit argumentum, non quidem necessario totius libri, sed saltem partis notabilis : v. gr. unius capitis.

De Religione.

3) "*De Religione*" i. e. de materia quæ ad sacras respicit disciplinas : S. Scripturam, theologiam dogmaticam et moralem, liturgiam, jus canonicum, historiam ecclesiasticam. Non putamus tamen [1] comprehendi omnia argumenta quæ postulant prævium censuram, et proin etiam libros philosophiæ moralis, nisi tamen, ut patet et dicit ARNDT [2], philosophica opera adhibeantur ad debilitanda dogmata. Cfr. SUAREZ [3]; LUGO [4]; S. ALPH. [5]; ARNDT [6]; PIAT [7].

Tractare.

4) "*Tractant*" Tractare, ex LUGO l. c., non est obiter sensum suum dicere, sed quid defendere, probare, contraria solvere.

Quousque reprobati.

5) "*Si constet*" Cum tractant *ex professo* de religione, prohibentur ex præsumptione indolis pravæ, donec moraliter constet, v. gr. per testimonium viri fide digni, *nihil in eis contra fidem catholicam contineri. Nihil* sumi potest moraliter. Intelligas ergo : nihil, *quod sit alicujus momenti.* Quid autem si nihil *formaliter* seu ex animo hostili dicatur contra fidem, proferantur tamen nonnulla quæ ei materaliter adversantur? Malumus hic exspectare S. Sedis declarationem.

N. B. Quid si notæ catholicæ appositæ libro hæretici, vel contra.

N. B. Subjectæ quædam notæ catholicæ non impediunt quin liber sit acatholici; nec notæ quædam ab hæretico adjectæ libro viri catholici, efficiunt ut jam non censeatur liber catholici scriptoris [8]. Si vero tanta fuerint scholia, ut ex his potius censeatur liber constare, ab auctore scholiorum recipiet suam denominationem.

Quid de aliis eorumdem libris.

6) Quoad *alios eorumdem libros*, art. 4. sancitur, quod jam usu in pluribus locis invaluerat, ut illi "qui obiter tan-

[1] Contra HOLLWECK. p. 31, nota 2.
[2] Op. cit. p. 123. — [3] *De Fide*, d. 20, n. 16. — [4] *De Fide*, d. 21, n. 51.
[5] L. 7, n. 283. — [6] Op. cit. p. 121-123. — [7] *N. R. Th.* T. 30. p. 55, 56.
[8] Cfr. LAYMANN, *Theol. mor.* L. 2, Tr. 1, c. 15, n. 2; PIAT, ad VAN DER VELDEN p. 621. Severius loquitur ARNDT, op. cit. p. 123-125, n. 103.

tum fidei veritates attingunt, prohibiti non habeantur, donec speciali decreto proscripti haud fuerint".

2 B. — *Sacrorum Bibliorum versiones catholicæ in lingua vernacula* (art. 7.)

(*art. 5, 6 cfrs. n. 16 hic infra.*)

Sacrorum *Bibliorum* "*versiones* omnes *in lingua vernacula*, etiam a viris catholicis confectæ, omnino prohibentur, nisi fuerint ab Apostolica Sede approbatæ, aut editæ sub vigilantia Episcoporum *cum annotationibus* desumptis *e sanctis* Ecclesiæ *Patribus*, atque ex doctis catholicisque scriptoribus". Ita art. 7 qui, servata hac lege, easdem indirecte permittit.

Discrimen cum jure superiore.

1) Authentice sic promulgatur disciplina, quæ jam pridem variis declarationibus S. Sedis fuerat inducta[1], nisi quod nulla jam requiritur parochi aut confessarii licentia, quæ ex regula 4ª Indicis a singulis legentibus erat exposcenda. Cfr. ARNDT p. 132-134 n. 112.

Quæ partes versi possint sine annotationibus.

2) "*Cum annotationibus*". Ex usu jam recepto, saltem apud nos, videntur tamen hodie adhuc permitti posse quædam partes sine istis scholiis : v. gr. liber Tobiæ, epistolæ, evangelia anni, quæ passim in Euchologiis exhibentur. De versionibus Ordinis Missæ, dictum est supra XIV § 1 4.

Quomodo notæ e SS. PP. desumendæ. Quid de paraphrasticis versionibus?

3) "*E SS. Patribus etc.*" Sufficit etiam ut annotationes mediate desumantur e SS. Patribus, nempe ex traditione Ecclesiæ, unde solent docti catholici haurire suas explicationes. Quare videntur in rigore sufficere versiones paraphrasticæ. Eæ enim simul vertunt et exponunt, v. gr. pro juventute, catholicam libri interpretationem. Cfr. ARNDT, p. 129, n. 110.

De historiis V. et N. Testamenti

Nec *speciali* regulæ approbationis obnoxiæ sunt historiæ utriusque Testamenti, quæ quasi compendio, in usum juventutis, exhibent Biblia sacra. PERIÈS op. cit. p. 83.

16. II. — **Libri de se suspecti, qui, data certa conditione, non omnibus sed quibusdam personis indulgentur.**

1 A. — *Sacrorum Bibliorum editiones aut versiones acatholicæ.* (art. 5, 6, 8.)

(*art. 7 hic supra n. 15.*)

Iis dumtaxat qui *studiis theologicis* vel *biblicis dant operam*..., permittuntur, modo tamen ne *impugnentur*

[1] S. C. INDICIS. 13 Jun. 1757; 7 Jan. 1836.

(impugnatio non est mera contradictio, sed hanc ponit rationibus stipatam) in prolegomenis aut annotationibus *catholicæ fidei dogmata :*

1) Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum S. Scripturæ, etiam Ecclesiæ Orientalis, ab *acatholicis* quibuscumque publicatæ (art. 5);

Editiones acatholicæ textus SS. Bibl. aut versionum antiquar. cathol.

2) " Aliæ versiones sacrorum Bibliorum, sive latina sive alia lingua *non vulgari*, ab acatholicis editæ " (art. 6);

Aliæ versiones lingua non vulgari, ab iisdem editæ.

3) " Versiones omnes SS. Bibliorum, quavis *vulgari* lingua ab acatholicis quibuscumque confectæ " (art. 8);

Versiones lingua vulgari ab iisdem confectæ.

Acatholici quicumque, ne sine causa excludamus Biblia a Judæis edita, hic sunt omnes qui infidelitate, apostasia etc. ab Ecclesia reputantur alieni.

— Ceteris fidelibus eadem, præsertim versiones quæ per Societates Biblicas, a RR. PP. non semel damnatas, divulgantur, stricte vetantur (art. 5, 6, 8). —

4) Versiones in lingua vernacula a catholicis confectæ, sed carentes notis vel approbatione debitis. His enim etiam applicatur facultas facta per alterum paragraphum art. 8.

Aut a catholicis sine notis.

Quæres quinam studiis theologicis vel biblicis operam dare dicantur?

Quinam dent operam studiis theologicis vel biblicis.

R. Non soli, sed neque omnes clerici vel sacerdotes; neque hi qui actu transeunte, v. gr. pro concione scribenda, S. Scripturæ punctum elucidare volunt; sed hi qui *habitualiter*, in scholis vel privatim, partem saltem aliquam sui temporis his studiis dare solent [1]. Cfr. GÉNICOT [2], PENNACCHI [3]. (Is fortasse paulo severius dicit in hac re.) Non requiritur tamen ut id constanter vel ultro faciant, sed sufficit ut ex aliqua occasione, puta parandi examinis, per aliquot v. gr. hebdomadas his vacent.

5) Noluit tamen S. Sedes, ut facultas illa ansam daret deserendi in scholis catholicorum editionem latinam vulgatam, quæ, ex Tridentini concilii sessione IV, pro authentica est habenda " in publicis lectionibus, disputationibus et expositionibus ". Quare dum confirmabat nostram interpretationem, et declarabat beneficio art. 5, 6, 8 non excludi alumnos " qui theologiæ et linguæ hebraïcæ ac græcæ in scholis seminariorum vacant ", simul negavit permitti posse

An ex istis textibus fieri possint prælectiones.

[1] " Dare operam alicui rei, frequentissimum est pro attendere, curare, laborare, niti ut aliquid fiat ". FORCELLINI, v. *Opera*.

[2] op. cit. I, 453, 1. — [3] *A. S. S.* l. c. n. 43. p. 180.

ab Episcopo, nisi specialem a S. Sede facultatem obtinuisset, ut in scholis alumni sub ductu professoris textus hebraïcos et græcos ab acatholicis editos legerent et verterent. Ex secret. S. CONG. INDICIS 21 Jun. 1898.

Si mere agatur de textu hebraïco, exponendo in ordine ad hebraïcam linguam addiscendam, facta ratio non obstabit. Imo, ut quidam putant, modo citata responsio negativa teneret tantum de alumnis qui non vacarent studiis theologicis vel biblicis.

Non existimamus tamen, contra atque opinatur PALMIERI in h. l., jus utendi istis editionibus ex quadam æquitate perseverare etiam absolutis studiis in iis qui in publicis scholis operam his studiis dederunt. Copia enim his utendi, concessa est iis qui *operam dant*, non iis qui *dederunt*. Sic articuli litera. Quam si extendas ultra vim propriam verborum, jam sacerdotes moraliter omnes fruentur hac exceptione.

2 B. — *Libri classici obsceni.* (art. 10.)

(*art. 9 n. 13 p. 58.*)

"Iis tantum quos *officii* aut *magisterii* ratio excusat" permittuntur, propter sermonis elegantiam et proprietatem, auctorum, sive *antiquorum* sive *recentiorum*, quos *classicos* vocant, libri, etsi hac turpitudine infecti ut res lascivas seu obscenas ex professo tractent, narrent, aut doceant.

"*Nulla* tamen *ratione pueris* vel *adolescentibus*, nisi solerti cura expurgati, tradendi aut prælegendi erunt" (art. 10).

Comparatio cum jure superiore.

1) Olim, regulæ 7ᵉ Ind. hæc apponebatur exceptio : "Antiqui vero (libri) ab Ethnicis conscripti, propter sermonis elegantiam et proprietatem permittuntur : nulla tamen ratione pueris prælegendi erunt".

Superioris ergo juris facultas amplior erat quoad personas ; restrictior quoad objectum. Neminem enim excludebat [1] ; et prohibebat solas prælectiones quæ *pueris* fierent; dum nunc coarctatur ad personas "officio vel magisterio" excusatas, et prohibetur tum traditio tum prælectio quæ *pueris* fiat vel *adolescentibus*, nisi solerti cura fuerint libri purgati. Simul tamen pristina exceptio non respiciebat nisi antiquos, dum hodie spectat ad omnes "classicos".

[1] Sed quia licentia circumscribebatur libris ethnicorum, ipso facto excipiebatur "profanum vulgus".

Quid operetur hæc facultas.

Factæ autem facultatis hæc est vis, ut reponat personas quas afficit sub jure naturali : non tollit ergo efficaciam divinæ sanctionis, qua vetamur nos proximo opponere periculo; et vehementer erraret qui, hac venia fretus, sibi fas duceret habitualiter incumbere legendis libris ex professo obscenis.

Quid classici.

2) *Classici* auctores ii sunt qui in singulis linguis tanquam exempla adhibentur. Olim, ut dicebamus, exceptio circumscribebatur classicis antiquioribus.

Quinam eorum libri permittantur.

3) Permissio respicit eorum libros *obscenos*, non autem eos qui alia de causa, v. gr. ob perniciosas doctrinas, vel in Indicem referuntur, vel generali Decreto attinguntur. Qui casus est, omissa quæstione an auctor classicus haberi possit, plurium certe librorum ÆM. ZOLA, cujus opera omnia [1] sunt in Indicem relata.

Quibus nam detur venia.

4) Venia datur his quos *officii* aut *magisterii* ratio *excusat*. Non requiritur ergo ut hæc faciant strictam necessitatem, sed sufficit ut præbeant excusationem. Nempe elegantia sermonis scriptorum classicorum efficit, ut quamvis turpia contineant, conferre tamen possint eorum opera ad magis excolendos literatos vel literarum magistros, eorumque cognitio ad necessariam vel saltem congruam plurium eruditionem pertineat. His de causis conceditur facultas præsentis articuli.

Unde *a*) eruimus : *officium*, quod assumptam status conditionem (profession, état) in genere significat, intelligendum hic esse spectans ad literarum cultum, ita ut ii excusentur officio, qui ex *professo* literarum opera vel conscribunt vel judicant (Littérateurs de profession, hommes de lettres, critiques) [2]. Non autem sufficit ut *per accidens* quid scribas ad literas pertinens. Potest tamen quis simul aliam exercere artem et satis literis incumbere ut excusetur.

Minime autem hic respicitur ad personas quæ speciali titulo ex art. 27 tenentur pravos libros denunciare [3], vel in officina impressioni cooperantur, ut correctores [4]. Hi tamen ex communibus principiis theologiæ non raro excusabuntur.

[1] Decreto 26 Jan. 1895.
[2] PALMIERI, in h. l., indicat etiam custodes bibliothecarum, præsides lycæorum, etc. ut officio excusatos.
[3] Istos indicat PENNACCHI *A. S. S.* l. c. n. 48, p. 203, 204.
[4] Hos citat HOLLWECK p. 34.

b) Eruimus: *magistros* non eos solos excusari qui ex Gubernii jussu cogantur adhibere classicos obscenos [1], sed omnes quibus prodest ratio facta, nempe magistros qui *literas* docent, non autem qui mere rudimenta linguæ, ut in schola elementari (école primaire); nec eos qui diversam tradunt disciplinam, etsi nobiliorem : ut jus, theologiam.

Exceptio quoad pueros vel adolescentes.

5) "*Nulla tamen ratione pueris vel adolescentibus tradendi aut prælegendi erunt*". Prudenter ergo cavet Constitutio, ne hi quorum est pueros vel adolescentes in literis instituere, oportunisque libris munire, ipsis obscena in manibus dent, vel multo minus prælegant.

"*Pueri vel adolescentes*" profecto sunt qui in gymnasiis humaniores docentur literas.

Quid de iis qui Universitates frequentant,

Quid de iis qui *Universitates* frequentant? Si nativam, et etiam jure receptam consideres vocum significationem, pueritia durat ad 18^{um} annum, adolescentia saltem usque ad vigesimum quintum [2]. Si ad rationem legis animum advertas, nonne junioribus istis plus forsan quam ipsis pueris periculi offerunt obsceni scriptores? [3]

Quare, nostra sententia, comprehenduntur etiam prælectiones quæ in Universitatibus habentur.

Si qui tamen, nondum superata adolescentia, jam magisterium literarum exerceant, profecto, qua magistri, frui poterunt beneficio art. 10. Usum tamen facultatis minime suadebimus. Et si excusatos velis officio eos, qui in Universitatibus speciali literarum culturæ propter statum futurum incumbunt, non omnino repugnamus. Malumus tamen eos considerare potius *in via* ad officium, quam ut officio jam instructos. Nec necessitatem videmus cur uti debeant non emendatis editionibus. Num autem præsumenda est Constitutio nostra voluisse adolescentibus nostris novum dare prætextum, ad excusandam suam in hac re nimiam nec satis deplorandam licentiam?

vel certa gymnasia.

Fieri autem potest ut etiam in certis gymnasiis, necessitas audiendi magistros qui spernant hæc monita, vel parandi se ad pericula (*examens*) facienda, cogat adolescentes ut adhibeant non emendatas editiones. Ipsi tunc, intra fines hujusmodi necessitatis, excusabuntur a positiva lege.

Expurgati tradi possunt.

[1] Contra PENNACCHI l. c.
[2] Cfr. BARBOSA. *Repertorium juris* v. *Ætas.*
[3] Cfr. GÉNICOT op. cit. I, 452, 4°.

6) Solerti tamen cura expurgati (si tamen obscenitatum copia ferat hanc emundationem) possunt tradi et prælegi. Sic formaliter conceditur quod jam usu invaluerat.

7) Quæres utrum propria auctoris classici lingua circumscripta sit facultas, an etiam legi possint de sua in aliam conversi? Si hujusmodi sit versio, quæ facultatem præbet etiam in alieno idiomate percipiendi utilitatem ex classico auctore, ratio facta hic etiam obtinet. Quare id nobis videtur concedendum. | *An legi possint versiones.*

SECTIO II.— DE PROHIBITIONIBUS QUÆ ETIAM ALIA OPERA QUAM LIBROS AFFICIUNT.

Art. I. — De scriptis, libellis. 17

(art. 13 et 20. De iisdem cfrs. n. 14 p. 69, 70, 77)

(art. 14 n. 13 p. 63 sqq.; art. 15 n. 20 p. 92 sqq.; art. 16 et 17 n. 19 p. 91, 92; art. 18 n. 14 p. 73 sqq.; art. 19 n. 22 p. 98, 99.)

Prohibentur, *sine licentia legitimæ auctoritatis publicata :*

1) Etiam *scripta* in casu art. 13[1] (relationes miraculorum, etc.) Cfr. supra **14**, 1, 2. Scripta *quædam;*

2) Etiam *libelli* precum, devotionis, etc., quos respicit art. 20[us]. Observes libellum componi *aliquot* paginis. Unde simplex folium non attingitur hac prohibitione. Libelli *quidam. Non autem omnia quæ sine licentia vulgantur.*

Ex his articulis inferimus non ceteros prohiberi libros, opuscula etc., quæ debita censura carent, nisi adjecta fuerit mentio hujusmodi prohibitionis. Cfr. n. **11** 9; n. **17** et infra **29**.

Art. II. — De diariis foliis et libellis periodicis. 18

I. — **Quænam proscribantur hâc Constitutione** (art. 21, 1ª p.) 1

A. In primis quæramus quid, in articulis 21, 22 veniat nomine *diarii, folii, libelli periodici.* A. *Quid diaria, folia et libelli periodica hic.*

Jam vero *Diaria* reddimus : *journaux* stricte talia; *folia* periodica : journaux hebdomadaires, etc. *Libelli* autem nobis videntur esse : de petites publications périodiques, des suppléments hebdomadaires, bulletins, *petites revues* (quoad singulos fasciculos). Supra enim n. **9** 3, vidimus, fasciculos qui congruenter suæ indoli in unum colligati sunt, pro libro esse habendos.

Non autem arbitramur hic agi de publicationibus perio-

dicis majoris molis (*Revues* proprement dites), cum 1° minus istis conveniat vox "*Libelli*", et 2°, ex declaratione S. Officii supra recitata, majores istæ publicationes pro *libris* sint habendæ [1].

1 bis B. *Textus prohibitionis. Vis clausulæ: "Data opera... non solum naturali".*

B. Porro, ex art. 21, 1ª p.: Quæ "*religionem* aut *bonos mores data opera* impetunt, *non solum naturali, sed etiam ecclesiastico jure* proscripti habeantur".

1) Requiritur ergo ut talia sint, quæ *per se* proximum peccandi faciant periculum, et quidem ex hoc quod *data opera religionem* aut *bonos mores* impetant. Articulus enim ponit eadem prohiberi per jus naturale. Hujus autem juris proscriptio innititur periculo ruinæ vel scandali. Cfr. n. 4.

Oportet ut quæ Diaria *etc. id faciant.*

2) Oportet, si quid opinamur, ut id faciant *quâ diaria*, aut publicationes periodicæ; seu ut considerata in *tractu suo periodico*, in hæc notabiliter, *data opera*, intendant. Non sufficit ergo ut in folio quodam singulari legatur impius articulus, sed opus est ut talia reperiantur in pluribus "numeris" aut frequenter. Plectuntur enim *diaria*, publicationes *periodicæ*. Singulare autem folium, vel "numerus", in se non est diarium, sed *scriptum* aliquod vel *libellus*, et horum proin regitur jure [2].

Sed ex quo, pro indole sua habituali, plectitur diarium, proscriptionem illam participant, ut Diarii partes, etiam illa folia quæ in se forent innoxia. PENNACCHI, l. c. n. 59, p. 347.

Quid religio *hic?*

3) "*Religionem*" hic alii intelligunt veram seu *catholicam : universe tamen sumptam*, ita ut non sufficeret impugnatio unius dogmatis. Ita HOLLWECK [3], GENNARI [4], et ut probabilius, GÉNICOT [5]. Quid enim pro Ecclesia, sic aiunt, est Religio, nisi vera, catholica; et nonne finis legis, qui profecto respicit ad catholicæ religionis incolumitatem, nimis imperfecte obtineretur, nisi hæc oppositio sufficeret proscriptioni? Et addi fortasse potest quod statim in dispositionibus sequentibus, quando incitantur Ordinarii ad monendos fideles de periculo hujusmodi lectionis, et avertuntur viri catholici ne quid in his publicent, intentio legis fertur in

[1] Nobiscum PLANCHARD l. c. n. 72, 73; MOUREAU l. c. p. 116; dum minus videntur hæc discernere GENNARI l. c. p. 80; PENNACCHI l. c. n. 59 p. 344 sq.; GÉNICOT op. cit. I, 452, 1, 9. Cfr. supra 9 3.

[2] Nobiscum PLANCHARD, *Rev. th. fr.* l. c. n. 76; GENNARI, *Monit.* p. 80; PENN. *A. S. S.* l. c. n. 59, p. 347; PÉRIÈS, op. cit. p. 122 contra MOUREAU, *Rev. sciences eccl.* l. c. p. 115.

[3] Op. cit. p. 37. — [4] *Monit.* l. c. p. 80. — [5] Op. cit. I, 452, 9.

omnes ephemerides quæ catholicæ religioni sint infensæ. Quam sententiam non negamus esse verisimilem.

Alii tamen clausulam *contra Religionem* accipiunt de contrarietate quæ *ex toto* adversetur religioni ut accipitur pro religione tum naturali tum revelata, de contrarietate ergo religioni *ut sic*, seu *omni, etiam naturali*, et non mere religioni qua revelatæ, catholicæ. Attinguntur tunc ea tantum folia quæ habitualiter propugnant atheismum, materialismum et alios errores "modernos" quibus exstinguitur sensus hominis religiosus, vel quæ conantur evertere omnem cultum divinum. Non tamen damnationem evaderet diarium quod impetit cultum catholicum, si ex modo impugnationis, manifesta fieret intentio omni religioni contraria. Multis enim hodie optio non videtur facienda nisi inter catholicam fidem vel nullam. Hujus sententiæ, quam in prima editione proposuimus, quam tuetur PLANCHARD [1] et, ut videtur, PÉRIÈS [2], BOUDINHON [3], hæc sunt fundamenta.

In *stylo curiæ* vox *religio* latius accipitur quam vera religio, cui potius destinatur appellatio *fidei catholicæ*. Sic in ipsa nostra Constitutione manifestatur illa distinctio. Art. 2. "fundamenta religionis", interpretati sumus de veritatibus quibus innititur religio sive naturalis sive positiva; et art. 3 in dictione: "ex professo de *religione* tractant" latior est acceptio vocis quam in exceptione: "nisi... nihil in eis contra *fidem catholicam*". Eadem *fidei catholicæ* appellatione designatur, art. 30, sancta nostra religio. Similiter in jure matrimoniali, dictio: "impedimentum mixtæ *religionis*" applicat hæretico cultui vocem religionis. Quum ergo in clausula "*contra religionem*" intelligatur religio *universe* sumpta, videtur requiri repugnantia *omni religioni*.

Præterea, in materia plane nostræ simili, quando ex facultatibus quinquennalibus ordinariis legendi et retinendi libros prohibitos excipiuntur libri *ex professo contra religionem*, tales non reputantur qui, etsi adversantes revelationi, naturalis tamen religionis sarta tecta servant fundamenta. Ita saltem ZITELLI [4], KONINGS [5], ARNDT [6], DE BRABANDERE [7], PLANCHARD [8].

[1] *Rev. th. fr.* l. c. n. 74. — [2] Op. cit. p. 125.
[3] *Canoniste* 1897, p. 210. — [4] *Apparatus juris eccl.* p. 540, nota.
[5] *Comment. in facult. apostol.* n. 177.
[6] Op. cit n. 182, p. 251. — [7] Op. cit. n. 1361.
[8] *Rev. th. fr.* 1897, p. 35.

In pluribus regionibus, quod alterum est argumentum pro nostra interpretatione, multi etiam ex catholicis, ob varias causas vel prætextus, recipiunt, et saltem parte, v. gr. quæ ad politicas, industriales notitias attinent, legunt ephemerides quæ habitualiter sunt infensæ Ecclesiæ, præsertim si quamdam speciem honestatis servent [1]. Nec raro cogitur Confessarius uti indulgentia, et contentus esse iis cautionibus præscribendis quæ amoveant proximum periculum. Si vero nunc, per prohibitionem positivam reservatam S. Sedi, Confessarii arbitrio hæc res subducatur, nonne videris eum ad tales redigi angustias quas prudentissima lex potius vitasse censenda est? Facilius obtinebitur abstinentia a diariis plane impiis. Ubi autem Diœcesis conditiones id ferant, Episcopus poterit opportune severiores addere sanctiones.

Accedunt plures confirmationes. — In epistola S. C. INDICIS, nomine PII IX ad omnes Metropolitas missa 2 Apr. 1873, excitantur Ordinarii "ad non prætereundum examen operum videlicet et ephemeridum quæ *fidem moresque directe* impetunt". Num sine consilio in locum "*fidem*" subrogata est vox generalior *religionis?* — Quæ impugnant *omnem religionem*, per se prohibentur jure naturæ *absoluto;* quæ solam positivam impetunt, jure naturæ *hypothetice* vetantur. Nonne articulus qui postulat prohibitionem naturalem, intelligi potest de absoluta? — Conjungitur in articulo vox *religio*, cum *bonis moribus*. Hi autem non intelliguntur proprii christianorum : ut jejunia, requies festiva, sed qui definiuntur lege naturali. — Nec est negandum diaria plane impia specialem mereri notam. Sic BOUIX [2], explicans quinam forent pravi libri, separabat jam libros omni revelatæ religioni adversantes a libris qui solam christianam vel catholicam impugnent. Sic, in quæstione de tolerantia civili cultuum, theologi distinguunt ab aliis, cultus non adversos religioni naturali.

Neve dicas hujusmodi prohibitionem esse parum utilem. Num enim desunt in civitatibus, v. gr. Parisiis, ephemerides quæ ex habituali sua tendentia omnis religionis probantur inimicæ?

Neque obstat quod in fine articuli de aliis etiam agitur

[1] Cfr. AVANZ.-PBNN. op. cit. Append. III, p. 135, quem citat PÉRIÈS, op. cit. p. 224.

[2] *De Curia*, p. 386. Cfr. etiam jussionem PII VI, Indicis catalogo insertam v *Libri omnes*.

diariis. Nam etiam prior sententia cogitur ampliorem facere materiam præscriptæ monitionis, quam hujus prohibitionis. Prava enim et periculosa esse possunt diaria quæ tamen non ex professo adversantur fidei, et mere quemdam "clericalismum" ut aiunt, aggredi tentant [1].

Quinam sint boni mores.

4) "*Bonos mores*" intelligas, ex communi vocis acceptione, eam vitæ rationem quæ naturalis honestatis legibus congruat, præsertim quod attinet ad castitatem. Sic gallice: "*les bonnes mœurs*". Proscribuntur ergo diaria "pornographica"; et etiam, cum lex non distinguat, ea quæ *theoretice*, data opera, evertere satagunt bonos mores.

Vis additæ prohibitionis ecclesiasticæ. Parte severius est jus naturæ.

5) "*Sed etiam ecclesiastico jure*". Quid operatur accedens ista prohibitio positiva? Hæc duo:

Etiam ii quibus *per accidens* desinat periculum ruinæ vel scandali, tenentur tamen positiva illa interdictione, dum vetitum juris naturalis totum ex illo periculo dijudicandum est. Nobiscum PENN. n. 59, p. 345.

Si, sub hoc respectu, severior est dispositio positiva, aliunde, plura sunt folia, etc. quæ data opera hæc non faciunt, quorum tamen habitualis lectio naturali jure prohibetur. Hæc præsente clausulâ non attinguntur.

Altera vis prohibitionis positivæ hæc est, ut proscriptæ sint etiam partes in se innocuæ hujusmodi publicationum. Ita et PENN. l. c.

Quænam autem *gravis* sit materia, cfr. infra n. 28.

Infra de gravi materia.

2

II. — Ab Ordinariis exercenda pastoralis vigilantia (art. 21, 2ª p.)

Zelus Ordinariorum excitatur.

Excitatur zelus Ordinariorum, ut de hujusmodi lectionis periculo et damno, fideles opportune moneant. Periculum istud sapienter evolvit ARNDT, p. 91-96, n. 81, 82.

An in Belgio existat communis prohibitio diariorum pravorum, ex lege Episcopali.

N. B. Antea Belgii Episcopi, Instructione pastorali 5 Aug. 1843, § 6, ita edixerant: "Nous *renouvelons* autant qu'il est en nous les défenses faites par l'Eglise sous peine de péché mortel d'imprimer, etc., tous livres, *journaux*, etc." Cfr. textum v. gr. Stat. Mechlin. Append. XXVII.

[1] PENNACCHI *A. S. S.* l. c. p. 345. admittit vocem "religionem" accipi tum pro naturali tum pro catholica. Putat tamen obtinere præsentem prohibitionem si alterutra impugnetur. Sed tunc sine utilitate adhibita est vox generalior. Quum enim revelationis pars sint etiam præcepta naturalia, quidquid adversatur religioni naturali, repugnat etiam fidei.

Non constat tamen exinde vigere in Belgio communem prohibitionem ab Episcopis latam. Videntur enim vetare ephemerides, quatenus, ut persuasum ipsis erat, interdicto universali Ecclesiæ subjacerent. Sin minus, cum eadem sententia designentur *libri*, agnoscenda foret episcopalis prohibitio etiam pro libris; et consequetur necessitas, ad eos legendos, petendæ in Belgio duplicis licentiæ, episcopalis nempe et pontificiæ, nisi clausula speciali hæc foret munita[1]. Hoc tamen nemo hucusque asseruit. Is autem videtur fuisse scopus Declarationis, ut istâ promulgatione omne dubium auferretur de vigore in Belgio legum Ecclesiæ in hac re. Cfr. DE BRABANDERE[2]. Ipse subjungit : " Cum dicatur, " nous renouvelons ", nulla nova lex... superadditur "; atque optime HEYMANS : " Comprehenduntur non solum libri sed et *scripta quæcumque... si tamen ipsæ Ecclesiæ leges, quæ renovantur, quamcumque scripturam continerent* ". Jam vero, quum ante LEONIS XIII Const., præsertim post memoratum responsum S. Officii 21 April. 1880, supra laudatum n. 8, id saltem dubitaretur : non improbabiliter, in istis diœcesibus, quæ sub regimine sunt solius istius Instructionis pastoralis[4], negatur adesse episcopale vetitum circa ephemerides.

3 **III. — Ne catholici quid publicent in his foliis** (art. 22.)

(*art. 23 sqq. cfrs n. 34, p. 117 sqq.*)

" *Nemo e catholicis*, præsertim e viris ecclesiasticis, in hujusmodi diariis, vel foliis, vel libellis periodicis quidquam, *nisi suadente justa* et *rationabili causa, publicet* ". Rejicimur hic ad principia generalia de cooperatione.

An bonum per se hæc folia honestis articulis augere.

Jam vero, 1) ut scite observat ARNDT[5], vehementer decipiuntur si qui, dum regulariter mittunt ad malas ephemerides lucubrationes argumenti honesti sed indifferentis, quæ merito scientifico aut sermonis elegantia commendantur,

[1] Cfr. art. 25 hujus Const.

[2] In 1ª edit. II, p. 452, 453. Non detinebimus lectorem in explicando fortuito casu, quo, hoc loco, in conferenda 1ª edit. III. Auctoris cum 5ª, materialis et minimi momenti irrepsit error.

[3] Op. cit. n. 312.

[4] Nam in *Leodiensi* accesserunt Instructiones Illustrissimi Episcopi annis 1857, 1858, 1865.

[5] P. 237, n. 175, 9.

existiment se hanc utilem navare operam, ut lectoribus harum ephemeridum aliquod honestum pabulum suppeditent. Efficiunt enim per se, ut earum augeatur nomen, et minus ab eis abhorreant mentes proborum. Quare gravior tantum causa excusare potest hanc cooperationem, si influxus non fuerit notabilis.

Causa justa esse potest.

2) Data tamen occasione aliquid scribere istis diariis inserendum, præsertim quod cedat in Religionis decus et calumniæ confusionem, v. gr. si jure utaris respondendi cuipiam impugnationi, optimum potest esse consilium. Quocirca sapienter Leo XIII nullam absolutam fecit prohibitionem.

Quid de nunciis vulgandis.

3) Per se etiam improbandum est, ut per illas quædam nunciando des ipsis lucri occasionem. Facilius tamen pro adjunctis id licere potest. Cfr. et LEHMKUHL, *Theol. mor.* I, 665.

Art. III. — De Indulgentiis. 19

I. — De apocryphis non vulgandis (art. 16.) 1

Quæ obligatio imponatur fidelibus.

Vetatur ne *divulgentur* apocryphæ. "Quæ vero jam divulgatæ fuerint, de manibus fidelium auferantur" art. 16. Verba hæc[1] nihil imponunt fidelibus, nisi obligationem parendi, si quæ jussa in hac re promulgentur ab Episcopis aut Superioribus. Nobis astipulatur PENNACCHI[2], et HOLLWECK[3].

II — De Indulgentiarum libris et foliis (art. 17.) 2

Art. 17 cavetur : "*Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia*, etc., in quibus earum concessiones continentur, non publicentur *absque competentis auctoritatis licentia.*

Quænam auctoritas sit competens.

1) Ex declaratione S. INDICIS Congr. 7 Aug. 1897[4]; *competens* auctoritas intelligenda est juxta normas superioris juris, ad quas hac dictione videtur tacite nos rejecisse præsens articulus; normæ autem paucis sic exhiberi possunt[5].

---

[1] Contra DESJARDINS, p. 313. — [2] *A. S. S.* l. c. n. 54. p. 317.
[3] op. cit. p. 36.
[4] GENNARI, *Monit.* l. c. p. 67, existimarat abrogata antiqua Decreta, nec jam requiri nisi licentiam Episcopi.
[5] Late tradit documenta, PENNACCHI, *A. S. S.* l. c. n. 55, p. 319-327.

De Indulgentiis apostolicis.

Catalogus Indulgentiarum quas singuli Summi Pontifices annectere solent crucibus et rebus quæ recipiunt Apostolicam Benedictionem (les Indulgences papales), vulgari nequit vel rursus edi sine licentia S. Sedis [1].

De Summariis.

Nova Summaria, seu collectæ ex variis concessionibus Indulgentiæ, approbari debent a S. Congregatione Indulgentiis et Sacris Reliquiis præposita [2].

Pro summariis tamen confraternitatum quæ ab Ordinum Superioribus erigi solitæ sunt, et archiconfraternitatum vel primariarum congregationum, quæ extra Urbem exsistunt, sufficit approbatio Episcopi loci ubi ordines vel archiconfraternitates sedem habent principalem [3].

Summaria jam probata, et Indulgentiæ particulares, modo hæ constent ex Brevi apostolico vel Rescripto, publicari possunt ex auctoritate Episcopi [4].

Quid si omissa censura.

2) Si tamen, omissa debita recognitione, publicentur, libri isti, summaria etc. non sunt proscripta. Id late probat PENNACCHI [5], et sequitur ex canone generali quem supra [6] tradidimus. Ejusdem sententiæ est cl. PALMIERI in h. l.

Quid de imaginibus destinatis memorando obitui, primo sacro.

3) Imagines in piam defuncti, vel sacerdotis primitiarum memoriam compositæ (souvenirs pieux, de 1re Messe), etsi continent unam alteramve orationem quam Indulgentia præditam laudent, non sunt *folia Indulgentiarum*. Quare, sicut usus satis probat, hac regulâ sunt immunes [7].

20

Art. IV. — De Imaginibus sacris (art. 15.)

1

A. *Quæ duo statuantur art. 15. Vetantur abhorrentes a sensu Ecclesiæ.*

De Imaginibus Domini N. J. C., B. M. V., Angelorum, Sanctorum, Servorum Dei :

A. Ambo hæc statuuntur art. 15 :

1) *Vetantur* omnino quæ ab Ecclesiæ sensu et decretis sunt difformes. Id tamen accipias quatenus hujusmodi imagines aliquo modo pro sacris exponantur vel habeantur. Existi-

[1] *Rescr. auth. S. C. Indulg.* p. 345.
[2] *Decr. auth. S. C. Indulg.* n. 383.
[3] *S. C. Indulg.* 8 Jan. 1861. (*Decr. auth.* n. 388.)
[4] *Decr. auth.* n. 383.
[5] *A. S. S.* l. c. n. 55, p. 328-334. Contra, HOLLWECK, p. 36 nota 3, et 37, ob rationem n. 11 9. supra rejectam, quia articulus contineatur capite de prohibitione librorum.
[6] n. 11 9. — [7] HOLLWECK, p. 36, nota 3.

mat enim cl. PALMIERI in h. l., imagines hujusmodi retineri posse "ut monumentum vel abnorme artis".

Ita v. gr.[1] improbatur prior ratio repræsentandi B. M. V. a Sacro Corde (*Uxellodunensis* — Issoudun); imago *servi Dei* quæ aureola fulgeret, etc.

Quæ autem probandæ vel improbandæ sint imagines, erudite exponit BEN. XIV C. *Sollicitudini* 1 Oct. 1745. Etiam ejusdem Pontificis Decreta quæ præmittebantur Indicis catalogo, etsi formaliter nunc suppressa, continent § 3 exempla imaginum quæ difformes sunt ab Ecclesiæ sensu. Cfr. de his GENNARI[3] et PENNACCHI[3].

Novæ ne publicentur sine licentia.

2) *Novæ*, etiam sine precibus, *publicari* non possunt sine Ecclesiasticæ potestatis licentia.

Novæ porro imagines, eæ sunt, quæ noviter inveniuntur, describuntur (sur de nouveaux *dessins*), non quarum typus jam confectus est et ipso usu tacite probatus. Ita nobiscum DESJARDINS[4], PENNACCHI[5]; dum severius HOLLWECK[6] intelligit etiam novam editionem (*allen Neudruck*) imaginis antiquæ.

Jam antea Belgii Episcopi simile quid præscripserant, et exemplo præiverant statuta Leodiensia n. 272, 7.

Publicatæ sine licentia non prohibentur.

Quid autem si publicentur absque competente licentia? Peccat editor; sed ex collata utraque parte art. 15, qui hic non repetit absolutam prohibitionem qua in 1^ore^ parte plectit imagines abnormes, eruimus fideles eorum usu non prohiberi. Ceterum nimiis scrupulis et practicis difficultatibus locum daret major severitas. Nobiscum PENNACCHI[7], GENNARI[8], contra HOLLWECK[9].

2 B. Expositio literæ. Imagines quomodocumque impressæ, quænam sint.

B. Ut autem literam articuli 15 non nihil exponamus, 1) Respiciuntur "*imagines quomodocumque impressæ*". Dictio illa, valde generalis, multas istas rationes complectitur, quibus, per impositionem et compressionem (*l'application et la pression*), mechanice multiplicantur effigies. Ad rem nihil interest, prius ære fuisse incisum exemplar, aut per "litho-

[1] Cfr. decr. S. OFF. 3 Apr. 1895. *N. R. Th.* 27 p. 488.

[2] *Monit.* l. c. p. 63-65. — [3] *A. S. S.* l. c. n. 53, p. 311-316. — [4] *Etudes*, t. 71, p. 213. — [5] *A. S. S.* l. c. n. 53, p. 310, nota. — [6] Op. cit. p. 51. — [7] L. c. p. 331. — [8] *Monit.* l. c. p. 66 et nota 1.

[9] Op. cit. p. 51 et p. 36 nota 3. Is nititur ratione generali quam n. 119 improbavimus; quia scilicet de istis agatur in capite quod *de prohibitione* librorum inscribitur. Temperat tamen sua dicta, dum hic venialem tantum obligationem agnoscit (p. 36, nota 3).

An numismata.

graphiam", "phototypiam", "photographiam"[1], confectas esse imitationes. De *numismatibus* disputari potest. Ferunt quidem in nummo impressam imaginem; facillime etiam vulgantur. Aliunde tamen deest usitatissima vox: "numisma" quam non omisit BENED. XIV, cum in Decr. gener. § 3 n. 3, hæc voluit inhibere. Et potius cuduntur, quam imprimuntur[2].

De statuis, picturis.

Non autem comprehenduntur *statuæ*, *picturæ*[3], cum ad genus impressarum imaginum minime pertineant. Neque istæ habent illam celerem diffusionem, ob quam dolet S. Pontifex in Exordio "artem (librariam) per se optimam... in instrumentum ingens ruinarum" a multis ea abutentibus fuisse perversam,

Ceterum hoc certe, generaliore dispositione TRID. s. 25[4] cavetur, ut, etiam in ecclesiis quocumque titulo exemptis nulla insolita poneretur imago, "nisi ab Episcopo approbata fuerit".

Quid "omnino vetantur".

2) Earum autem quæ vetantur usus omnis, etiam pro privata devotione, improbatur. Absoluta enim est prohibitio: "*omnino vetantur*". Id tamen, ut modo dicebamus, accipias de usu qui aliquo modo sit religiosus.

An imprimenda approbatio novæ imaginis.

Quæres an approbatio novæ imaginis sit in ipsa imagine imprimenda? Quantum fert natura imaginis, id est valde suadendum, tamquam plane consentaneum menti seu voto nostræ Constitutionis. Quia tamen art. 40 de solis libris id conceptis verbis exigit, non putamus strictum adesse præceptum. Severius respondet BOUDINHON, *Canoniste* 1897, p. 433.

---

[1] DESJARDINS, *Etudes relig.* 71, p. 213.

[2] Quare negant ea comprehendi PENN. *A. S. S.* l. c. p. 310, MOUREAU, *Rev. des sciences eccl.* l. c. t. 6, p. 110.

[3] Quum de istis non occupetur præsens Constitutio, vigent Decreta superioris juris. Cfr. GENNARI, *Monit.* l. c.; PLANCHARD, *Rev. th. fr.* l. c. n. 58 et nota 3.

[4] De invoc. etc. et sacris imaginibus.

CAPUT TERTIUM.

Leges de prævia censura.

SECTIO I. — DISPOSITIONES OMNIUM COMMUNES.

Art. I. — Quænam opera sint obnoxia censuræ. 21

N. B. Ad quid censura.

N. B. 1) Prævia censura non tam requiritur ut *typis mandetur* liber, quam ut *in vulgus spargantur* exemplaria. Fere perpetuo enim in Constitutione licentia petenda vel necessaria dicitur ut opus *edatur*[1], *edatur in lucem*[2], *publicetur*[3], *fiat publici juris*[4]. Unde si in art. 37, 38 sermo fit de *impressione*, idem sonare videtur dictio ac *publicatio* articulo 40. Cfr. GÉNICOT, op. cit. I. 458.

Quomodo subjiciendum sit opus censuræ.

2) Nec jam requiruntur solemnitates[5] *Instructionis* CLEMENTIS VIII, de *Impressione*, § 4. Non refert ergo utrum exhibeas codicem manuscriptum, an jam typis impressa folia (des épreuves d'imprimerie), modo paratus sis præceptas facere correctiones. GÉNICOT[6], HOLLWECK[7]. Nec jam dari debet unum exemplar censori[8].

Quæ non subjacent censuræ, possunt sine venia publicari.

3) Quamvis per se differat approbatio censoris a venia edendi, quia tamen in ordine ad hanc facultatem obtinendam prævio examini subjicitur, opus quod censura prævia eximitur, nulla petita licentia typis vulgari potest. PENNACCHI l. c. *A. S. S.* n. 78 p. 505, 506. His dictis,

§ I. — *Ex regula generali, Censuræ præviæ subjacent in universum* :

1 bis

I. — Libri qui religiosas aut morales disciplinas respiciunt (art. 41, 1or p.)

Libri " qui divinas Scripturas, S. Theologiam, Historiam Ecclesiast., Jus canonicum, Theologiam naturalem, Ethicen,

---

[1] Art. 8, 19, 34. — [2] Art. 31, 36. [3] Art. 13, 15, 17, 20, 32, 42. — [4] Art. 35.
[5] Solemnitates istas exponit DILGSKRON *Analecta ecc.* 1897 p. 89, 90.
[6] L. c. 458. — [7] Op. cit. p. 58. — [8] PENNACCHI *A. S. S.* l. c. n. 77 p. 501.

aliasve hujusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt". art. 41, 1or pars.

Clausula fere ad literam refert decretum Pii IX, 2 Jun. 1848 pro Romana ditione.

Quænam sint aliæ similes disciplinæ.

1) "*Alias hujusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt*" v. gr. tractatus de rebus liturgicis, et juris naturalis[1]; vitæ servorum Dei; libri qui ex instituto referunt facta prodigiosa quæ v. gr. in aliquo sanctuario contingunt; libri qui sub respectu morali vel religioso, ita GÉNICOT[2], non mere œconomico vel politico tractant de scientia sociali, puta commentando Encyclicam de Conditione opificum.

An publicationes periodicæ hic respiciantur.

2) *Libri* autem, qui soli hac priore parte attenduntur, non sunt, ut jam diximus, scripta, libelli, minoris molis publicationes periodicæ singulatim spectatæ. De his statim. Per se autem comprehenduntur publicationes periodicæ majoris molis, quarum singuli fasciculi ad libri quantitatem attingunt, et argumentis theologicis, canonicis tractandis destinantur. Nobiscum GÉNICOT[3], PLANCHARD[4]. Dubitare videtur MOUREAU[5]; dum HOLLWECK[6] omnes periodicas publicationes hac obligatione solvit, quia fidat Ecclesia personis quibus reguntur. Id tamen videtur gratis dictum, nisi usus seu consuetudo temperet legem[7]. Hujusmodi usum in Germania vigere ante nostram Constitutionem testatur GÖPFERT[8], Cfr. et ARNDT[9].

2

II. — Scripta in quibus religionis et morum specialiter intersit (art. 41, 2a p.)

"Ac generaliter *scripta omnia* in quibus religionis et morum honestatis *specialiter* intersit": hanc art. 41 alteram partem etiam continebat citatum PII IX Decretum, nisi quod, omissa distinctione inter *libros* et *scripta*, sine definitione naturæ operis, statuebat ut censores essent "solliciti ... *de omnibus* in quibus religionis vel morum honestatis specialiter intersit".

---

[1] Nimis subtiliter GENNARI separat jus naturale ab Ethica.
[2] L. c. 458, 7. — [3] L. c. 458. — [4] *Rev. th. fr.*, n. 73.
[5] *Rev. des sciences eccl.* l. c. p. 117. — [6] Op. cit. p. 45.
[7] Jam ex simili ratione consuetudinis, explicari potest cur lege positiva non attingantur *Annales parlementaires*, quæ non raro continent orationes parum orthodoxas. —
[8] op. cit. p. 321.
[9] op. cit. n. 207 p. 293.

1) "*Scripta omnia*". Hic ergo opus respicitur omnis formæ ac molis, etiam singulare folium cujuspiam diarii. *Quid scripta.*

2) "In quibus *specialiter* intersit"[1]. Dum ergo *libri* indigent censura prævia, statim ac versent disciplinam religiosam aut moralem, *scripta* tunc tantum si, v. gr. ex adjunctis, eorum argumentum sit pro religione vel moribus peculiaris momenti, ob quod merito ab Ecclesia recognitio prævia sit exigenda. Sic, dum Concilium Vaticanum cogebatur, specialiter religionis intererat scriptum de proclamanda infallibilitate Vicarii Jesu Christi; sic religionis et morum, articulus quem supra dedimus ex *Tablet*; sic in Italia scriptum agens de vindicando dominio temporali S. Sedis, de opportunitate pro catholicis ferendi suffragium in electionibus politicis; ita etiam, fervente aliqua controversia de liceitate jurisjurandi præstandi cuipiam legi, scriptum de illa re facile hac clausula attingeretur[2]. *In quibusnam* specialiter *intersit.*

In dubio *an specialiter* intersit, non erit imponenda necessitas.

III. — Nova editio et versio operis obnoxii censuræ. 3

(art. 44.)

(*art. 42, n. 26, p. 104, 105; art. 43, n. 25, p. 102, 104.*)

Nova editio, et in aliud idioma *versio*, operis obnoxii legi censuræ, expostulant novam approbationem (art. 44). *Nova editio et versio.*

Nec refert quod plane similem prioris approbatæ publices editionem posteriorem : lex enim non distinguit; et post *Quid si nihil mutetur in nova editione.*

[1] Gallice sic verterimus : Et tous écrits qui offrent un intérêt tout spécial pour la Religion ou la morale.

[2] Plane aliter hucusque videntur interpretes intentionem istius paragraphi intellexisse, nec vim percepisse τοῦ *specialiter*. Sic GENNARI in *Monit.* l. c. p. 133, ita explicat quasi textus foret : scripta quæ specialiter seu principaliter agunt de materia religiosa vel morali. Similiter PENN. *A. S. S.* l. c. n. 78 p. 505. Unde, quod a praxi nostra alienum, colligit ill. GENNARI censuræ præviæ subjacere catholicas ephemerides quæ catholicam religionem vel mores tueri volunt. In quibusdam tamen locis, requiritur prævia Ordinarii facultas ut edantur. ARNDT contra, n. 207 p. 293, jam sub jure superiore, contentus erat si editio ephemeridis *ecclesiasticæ* vel *religiosæ* semel prævie approbaretur. Quam legem imponere possunt Episcopi publicationi cujuslibet folii *catholici*. Cfr. Conc. *Baltimorense* II. c. 4 citat. ab ARNDT l. c. Nostram vero interpretationem hujus partis art. 41 proponimus tanquam plane practicæ indoli Constitutionis consentaneam, et nobis indicatam a doctissimo et magni nominis theologo cujus veneramur auctoritatem.

priorem vulgationem nasci vel manifestari potuerunt causæ, ob quas opus approbatum vel nullatenus, vel tantum quibusdam demptis, sit denuo prelo committendum. Cfr. ARNDT op. cit. n. 211. p. 298, 299.

Quid circa excerpta e periodicis.

Quid si seorsim edas articulum excerptum e periodicis? Ex responso S. INDICIS Congr., 19-23 Maii 1898, excerpta e periodicis capita seorsim edita, non censentur novæ editiones. Quare nullam referre debent distinctam approbationem.

Diversus tamen fuerit casus, si ex variis articulis componas verum librum, quem sic primo in lucem edas. Nisi enim rationabiliter intelligas hanc responsionem, cum ex dictis n. 212, periodicæ publicationes subjiciantur minus strictæ censuræ, viam facilem aperueris ad ludificandam legem de prævia censura librorum. Nobiscum BOUDINHON. (*Canoniste* 1898, p. 312.)

§ 2 — *Ex speciali communis legis mentione.*

(art. 7, 13, 15, 17, 19, 20, 31, 32, 33.)

(art. 45, cfr. n. 8, p. 38, 39; n. 10, p. 45; n. 12, p. 51; art. 46, n. 11, p. 47; art. 47, n. 32, p. 112-115; art. 48, n. 33, p. 116; art. 49, n. 31, p. 112.)

22 Præter hunc generalem canonem, **speciali mentione,** tanquam censuræ obnoxia, indicantur :

1) *Versiones SS. Bibliorum.*
2) *Libri aut scripta quæ referunt novas apparitiones etc.;*
3) *Imagines novæ.*
4) *Indulgentiæ.*
5) *Litaniæ.*

1) *Versiones* SS. Bibliorum (art. 7).

2) *Libri* aut *scripta*, de quibus articulo 13 agitur, seu quæ narrant novas apparitiones, miracula, etc.

3) *Imagines* novæ (art. 15).

4) " *Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia, etc.*, in quibus earum concessiones continentur " (art. 17).

5) " *Litaniæ* omnes, præter antiquissimas et communes quæ in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus ac Ritualibus continentur " (sunt præcipue litaniæ Omnium Sanctorum, et agonizantium) " et præter Litanias de B. Virgine, quæ in sacra Æde Lauretana decantari solent, et lit. SS. Nominis Jesu jam a S. Sede approbatas " edi nequeunt sine revisione et approbatione Ordinarii (art. 19).

Vis approbationis Episcopi.

Episcopi tamen approbatio valet tantum pro usu privato, non autem ad hoc ut publice, etiam sine ministri sacri interventu, recitari possint in Ecclesiis vel oratoriis publicis[1]. Aliunde, ex canone generali tradito n. **11** 9, defectus neces-

[1] Cfr. S. RIT. C. 6 Mart. 1894, 28 nov. 1895, 20 Jun. 1896, 11 Feb. 1898.

sariæ approbationis non prohibet usum *Folii* vel *scripti* Litanias exhibentis, dum ex art. 20 vetatur usus *libelli* vel *libri* litaniarum. Cfr. PENNACCHI *A. S. S.* n. 58 p. 342.

6) Libri aut libelli *ad fovendam pietatem* conscripti, seu de quibus agitur art. 20. 6) *Libri, libelli qui fovent devotionem.*

7) Libri *proscripti* (Decreto speciali) ab Apostolica Sede, qui nequeunt edi *sine venia S. Indicis Congregationis* (art. 31). 7) *Libri proscripti a S. Sede.*

8) Quæ ad *causas beatificationum* et canonizationum servorum Dei utcumque pertinent. De iis agitur quorum causa est pendens. Exempla sunt probationes a defensoribus allatæ, factæ a Promotore fidei observationes, etc. Cfr. PENNACCHI qui a n. 69 late hæc prosequitur. Hæc ergo publicari nequeunt absque beneplacito *S. Rituum Congregationis* (art. 32). 8) *Quæ ad causas beatificat. aut canonizat. pertinent.*

9) *Collectiones Decretorum* singularum RR. Congregationum. Ut licite edantur, obtinenda prius licentia a Moderatoribus uniuscujusque Congregationis (art. 33). Rursus usu nobis non interdicitur illicite editæ collectionis. PENNACCHI *A. S. S.* l. c. n. 70 p. 484. 9) *Collectiones Decretorum Cgis.*

§ 3 — *Ex jure peculiari Missionum.* 23

(art. 34.)

Observanda manent *Vicariis apostolicis et Missionariis apostolicis decreta S. C. Propagandæ Fidei* de libris edendis (art. 34.)

1) *Vicarii apostolici*, ut hic eos accipimus, sunt Prælati ecclesiastici, plerumque episcopali charactere insigniti, qui in locis missionum, nomine S. Pontificis, pascunt regionem ubi hierarchia ordinaria nondum est introducta. Subduntur auctoritati S. Cong. de Prop. Fide. *Vicarii apostolici, quinam.*

2) *Missionarii apostolici*, non sunt ii Sacerdotes qui, honoris et privilegii causa, etiam in nostris regionibus, a S. Sede isto titulo decorantur, sed, ait PENNACCHI[1], illi sunt Sacerdotes, qui a S. Cong. de Prop. Fide approbati, in locis prædictis (Missionum commorantur, ibique ministerium suum exercent sub Vicariorum apostolicorum auctoritate. *Missionarii apostolici, quinam.*

3) Jam vero ex istis decretis, Missionarii apostolici prohibentur scripta quæcumque vel libros (tum propria, tum aliena, tum per se, tum per alios) publicare, sive de religione *Prohibitio facta Missionariis.*

[1] *A. S. S.* l. c. n. 71 p. 486. Idem probat PALMIERI in h. l.

directe vel indirecte tractantia, sive disserentia de rebus ecclesiasticis, nisi prævio examine et approbatione S. C. P. F. in scriptis obtinenda et in ipsius operis initio imprimenda.

Possunt tamen respectivi Episcopi seu Vicarii apostolici permittere ut in lucem edantur parvæ doctrinæ, catechismi, instructiones ac preces, quæ fidelium usui quotidiano inserviunt.

Obtinent quandoque per Indulta specialia, majores facultates.

Hæc eruuntur ex variis Decr. S. C. P. F. præsertim quæ *Coll. P. F.* n. 1869, 1870, 1872 referuntur.

Quid de libris, ephemeridibus quæ referunt literas Missionariorum.

4) Ex jure superiore, omnes libri de sacris missionibus agentes approbandi erant a S. C. de Prop. Fide. Sed si jam antea relationes mere historicæ vel geographicæ, e literis v. gr. missionariorum desumptæ, impune edebantur sine istius Congregationis facultate[1], id multo minus hodie illicitum erit reputandum. Hujusmodi relationes, seu libros "de cognitionibus quæ ad religionem nullimode referuntur" excipit PENNACCHI[2] etiam a lege quæ respicit Missionarios apostolicos.

Quid de Episcopis harum regionum.

5) Quæres, cur silentio prætermissi sint *Episcopi* regionum quæ subduntur Propagandæ Fidei. Ita Anglia, Hollandia, Indiæ etc.?

GENNARI[3] et PENNACCHI[4] autumant prohibitionem, de qua egimus sub lit. *a*), non vigere in locis in quibus restituta est hierarchia ordinaria. Atque ita res se habere in pluribus regionibus verum est. An in omnibus? Existimamus ab Episcopis illorum locorum considerandos esse receptos usus et proprias quas a Propaganda Fide receperint Instructiones.

24

Art. II. — Ad quem spectet censura.

1

I. — In genere (art. 35.)

Quæ competant vel non Ordinario loci.

1) Exceptis operibus quorum recognitio per hæc Decreta reservatur Apostolicæ Sedi vel *Romanis Congregationibus*, censura, ex art. 35, pertinet ad *Ordinarium loci* in quo opus fit *publici juris* (non ergo ut olim, loci in quo imprimitur[5]).

[1] Cfr. ARNDT, p. 277, n. 198. — [2] l. c. p. 489. — [3] *Monit.* l. c. p. 108. [4] *A. S. S.* l. c. n. 71 p. 490. — [5] Id exigebat reg. X *Indicis Tridentini.*

Reservantur porro per hæc Decreta : versiones SS. Bibliorum in lingua vulgari sine notis, de quibus art. 7; quædam publicationes Indulgentiarum, ut dictum est n. 19 2; et denique quæ hic 22 7), 8), 9) referuntur.

Liber ab uno approbatus, ubique legi potest.

2) Approbatio autem illius Ordinarii, facit ut liber ubique et ab omnibus legi possit, seclusa proprii Ordinarii prohibitione. Ita ex consuetudine.

Quid si plures fuerint editores.

3) Quid si plures fuerint editores, iique in diversis Diœcesibus? Secundum PENNACCHI[1] satis erit si unius Episcopi referat approbationem : illius nempe quem malueris, modo reapse fuerit editor. Sic nobis videtur. Cur enim cl. PENNACCHI respiciat ad domicilium auctoris non videmus. Ratio vero ob quam non a pluribus Episcopis sit liber probandus, est tum quia art. 35 loquitur in singulari "*ad Episcopum*"; tum quia favet usus, et menti legis ita est satisfactum; tum quia foret contra indolem præsentis juris, nimium onus imponere scriptoribus.

II. — Si Romæ degas (art. 37.)

2

(art. 36 cfrs. n. 27, p. 105, 106.)

Exceptio pro Romanis incolis. An merum privilegium.

1) Auctor *Romæ degens*, etiamsi alibi librum quempiam ederet, debebat obtinere approbationem Cardinalis Urbis Vicarii, et Magistri S. Palatii apostolici. Nunc autem art. 37 ita statuit : "Si auctor Romæ degens librum non in Urbe, sed alibi imprimere velit, præter approbationem Cardinalis Urbis Vicarii et Magistri sacri Palatii Apostolici, alia non requiritur". Articulus iste, secundum expositionem ejus literalem, *merum* sonat *privilegium*. Videtur ergo sic posse accipi, ita ut suppressa sit specialis obligatio juris superioris[2]. Atque ita intelligit articulum cl. PALMIERI in h. l.

Quid de Statu pontificio.

Quod certum est, præsens articulus silentio suo supprimit speciale et simile jus quo regebantur incolæ Status Pontificii[3].

[1] *A. S. S.* l. c. n. 72, p. 491.

[2] In hunc sensum cl. OIETTI S. I. in sua recensione de nostro opusculo (*Anal. Eccles.* 1898 p. 383, 384), et plures, in Urbe degentes, quibus minus placuit interpretatio, quâ in 1ª editione obligationem superioris juris indirecte confirmatam dicebamus. Severiorem tamen hanc sententiam tenent GENNARI (*Monitore*, l. c. p. 109); DILGSKRON (*Anal. eccl.* 1897 p 228); PENNACCHI (*A. S. S.* l. c. n. 78 p. 502); BOUDINHON (*Canoniste* 1898, p. 148). — [3] Cfr. S. OFF. 18 Sept. 1625, et ALEXANDRI VII Observationem ad regulam X Indicis.

Quosnam afficiat.

2) *Degunt* proprie in Urbe qui ibi saltem habent quasi domicilium[1]. Qui tamen actu etsi ad brevius tempus Romæ commorantur, poterunt ut *peregrini* privilegium incolarum participare.

25

Art. III. — Variæ regulæ secundariæ.

1

I. — Quinam eligendi censores. (art. 38, 39.)

Bene eligendi censores.

Commendatur Ordinariis ut doctos integrosque eligant *censores*, qui seponant partium studia et unice considerent dogmata et communem catholicorum doctrinam (art. 38, 39).

2

II. — Quomodo danda et imprimenda facultas. (art. 40.)

Gratis et *in scriptis* dabit Ordinarius *facultatem*, quæ *in principio vel in fine* operis est *imprimenda* (art. 40).

An exclusa censoris retributio.

1) Necessaria *gratuitas*, non excludit, stricte loquendo, congruam pro censoris labore retributionem. Melius tamen alia ratione consuletur censoris *decenti sustentationi*. Cfr. DESJARDINS[2], PÉRIÈS[3], PENNACCHI[4].

Quid si ore detur facultas.

2) *In scriptis* dari debet facultas. Quæ tamen *ore* tantum est concessa, non ideo fit nulla, seu caret effectu. PENNACCHI, *A. S. S.* l. c. n. 77 p. 500.

Quomodo exprimenda obtenta facultas.

3) Quæres utrum obtenta facultas sit vulganda ipsis verbis quibus est data, an satis sit uti formula quâ *clare* indicetur cujusnam fuerit licentia impetrata?

Prius tenent GENNARI[5], HOLLWECK[6]; atque olim ita resolutum[7]. Arguunt e textu quo *licentia*, quæ in scriptis data est, dicitur *imprimenda;* et ex eo quod aliter non posset de impetrata licentia authentice constare. Alterum admittunt DILGSKRON[8], GÉNICOT[9], PENNACCHI[10], utpote plane fini legis sufficiens; et consentaneum indoli hujus Constitutio-

[1] Quasi domicilium acquiritur habitatione reali conjuncta cum *intentione* commorandi in aliquo loco per *majorem* anni partem. Ita recepta in curia sententia, quanquam nonnulli, ut LEHMK II 775, contenti sunt commoratione per *notabilem* partem anni : puta per 4 menses. PENN. *A. S. S.* l. c. n. 74 p. 495, autumat nullum spatium commorationis requiri ad usum istius privilegii.

[2] *Etudes*, t. 71, p. 366. — [3] p. 205, 206. — [4] *A. S. S.* l. c. n. 77 p. 500, 501.

[5] *Monit.* l. c. p. 112. — [6] op. cit. p. 58.

[7] Cfr. ALBITIUS op. cit. c. 30 n. 125, vel ARNDT op. cit. n. 209, p. 296.

[8] *Analecta ecclesiastica* 1897, p. 228. — [9] op. cit. I, 459.

[10] *A. S. S.* l. c. n. 77 p. 500.

nis qua solemnitates factæ sunt simpliciores. Atque id praxi confirmatur. Quare legi obtemperatur, si vir secularis hanc vel similem adhibeat formulam "cum permissu Ordinarii talis diœcesis"; regularis autem "de licentia Superiorum Ordinis et Ordinarii talis loci".

An quandoque reticeri possit.

4) Olim, si justa causa, v. gr. ne impediatur publica libri utilitas, id postularet, admittebant posse, annuente Episcopo, reticeri obtentam facultam[1]. Non cogimur hodie esse severiores.

III. — Requisitæ indicationes nominis, loci, et anni. 3

(art. 43).

(art. 41, n. 21, p. 95-97; art. 42, n. 26, p. 104, 105; art. 44, n. 21, p. 97, 98).

Qui liber censuræ subjectus est, debet *in principio* præferre *nomen et cognomen* tum *auctoris*, tum *editoris*, *locum* et *annum impressionis atque editionis*. Permittere tamen poterit *Ordinarius* ut justas ob causas *reticeatur nomen* auctoris (art. 43).

An auctor versionis indicandus.

1) Utrius nomen ferre debet *versio*, auctoris nempe textus originalis, an interpretis? Utriuslibet nomen sufficere arbitramur. Litera enim vult ut manifestetur nomen auctoris. Jam vero operis, quod alia lingua redditur, auctor dici potest tum qui illud mente concepit, idque magis proprie; tum interpres, quatenus versio consideratur ut alterum opus, pro quo etiam requiritur distincta approbatio. Atque hoc forte magis secundum mentem nostri Legislatoris.

Quis editor.

2) Sæpe nomine *editoris* cum intelligimus cujus expensis liber imprimitur. Proprie tamen, si quid opinamur, is hac voce designatur cujus nomine et opera liber *editur*, i. e. vulgatur, diffunditur, publici fit juris. Plerumque erit ipse dominus Typographiæ qui opus suscepit imprimendum, et erit alius ab auctore. Si tamen nullus Typographus fuerit editor, cur requireretur, ut vult cl. PALMIERI in h. l., indicatio typographicæ officinæ, non perspicimus. Verba legis eam non exigunt. Neque, ut *in omni* casu habeatur utilitas quædam, præsertim secundaria, a Legislatore intenta, fas est in materia odiosa deserere verborum proprietatem. Et nonne interdum libri prodeunt qui de solo auctore faciunt mentionem, hac vel simili formula: "prostat apud auctorem?"

[1] DILGSKRON ibidem, citans DE BRABANDERE, II, 1348.

Quid, quod sub jure superiore, ex decreto CLEMENTIS VIII[1], solum nomen auctoris erat apponendum?

Quid si edat librum societas.

3) Quid si edat librum non persona singularis, sed societas? Satis tunc erit, pro fine legis, ut apponatur individua designatio domus, v. gr. indicato, ut fecimus pro hoc opusculo, *nomine sociali.* (La firme ou raison sociale).

4) Observes locum et annum tum impressionis tum editionis esse exprimendos, videlicet si liber fuerit alio loco vel anno impressus quam editus. Quod sæpius contingit de loco, interdum etiam de anno, ut si plura millia exemplaria, una vice impressa, in plures destinentur editiones. Cfrs. PENNACCHI op. cit. *A. S. S.* n. 79.

Quisnam Ordinarius det hic facultates.

5) Ordinarius cujus, ad nomen supprimendum, venia est impetranda, ille est ad quem ex art. 35 spectat probandi libri provincia; nempe in cujus Diœcesi opus fit publici juris. Idem poterit ob similes causas permittere ut liber prodeat sub nomine ementito (*pseudonyme*).

SECTIO II. — DISPOSITIONES SPECIALES PRO CLERO SECULARI ET PRO REGULARIBUS.

26

Art. I. — De clero seculari.

1

I. — Quoad libros. (art. 42, 1ª p.)

"Viri e *clero seculari*, ne libros quidem qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant, inconsultis suis Ordinariis publicent, ut obsequentis animi erga illos exemplum præbeant". (art. 42, 1ª p.)

Num strictum detur præceptum.

His non exigitur formalis approbatio, sed notitia data quo Ordinarii consiliis juventur. Atque talis videtur tenor regulæ, qui potius sonet commendationem, quam strictum præceptum. DESJARDINS[2], GÉNICOT[3].

Hac tamen fretus dispositione art. 42, poterit Ordinarius strictius idem jubere, et tunc renitentes plectere pœna arbitraria (seu arbitrio suo prudenter definienda) ex art. 49. Cfr. HOLLWEK[4]. Imo PENNACCHI[5] legit in art. 42 proprie dictum præceptum quo teneatur clerus secularis.

[1] De Impressione librorum § I. — [2] Etudes, t. 71, p. 369.
[3] op. cit. I, n. 460. — [4] p. 45 nota. — [5] *A. S. S.* l. c. n. 79 p. 507.

II. — Quoad folia periodica. (art. 42, 2ª p.)

2

" Iidem[1] prohibentur, quominus absque prævia Ordinariorum venia, *diaria* vel *folia periodica moderanda* suscipiant ". (art. 42, 2ª p.)

Quid hoc nomine veniat.

1) " *Folia periodica* " illa intelligimus, quæ diariorum similia, sola frequentia editionum ab his differunt. Non ergo ea quæ gallice vocantur " Revues ", cum fasciculi eorum pro libris vel libellis habeantur[2]. Cfr. supra **18**, 1.

An omnis argumenti.

2) Ceterum prohibitio est universalis, et complectitur etiam folia quorum profanum seu indifferens est argumentum. Imo, secundum PENNACCHI[3], de solis profanis hic ageretur, nec requireretur licentia ad moderanda folia religiosa et ecclesiastica. Hæc tamen ipse subdit censuræ prævia. Cfr. supra n. **21** 2. (nota.)

Quandonam censeantur moderari folium.

3) " *Moderanda* ". Non prohibentur quin scribant in istis foliis, aut aliter cooperentur, modo ne eorum moderationem suscipiant. Cum DESJARDINS[4], arbitramur parum referre utrum id faciant aperte, an alieni nominis specie protecti. Ita et PENNACCHI *A. S. S.* l. c. n. 79, p. 511, 512.

Art. II. — De Regularibus. (art. 36.)

" **Regulares,** præter *Episcopi licentiam*, meminerint teneri se, S. C. TRID. decreto, operis in lucem edendi *facultatem a Prælato*, cui subjacent, obtinere. Utraque autem concessio in principio vel in fine operis imprimatur " (art. 36).

27

Confirmat dispos. Clem. VIII.

1) Clausula illa, fere ad literam refert verba Instructionis CLEMENTIS VIII, Indicis Regulis adjectæ. Exinde :

Æque ac cæteri subjacent censuræ Ordinarii.

a) Confirmatur certa jam antea doctrina, ex qua Regulares exempti subjacent censuræ Ordinarii loci æque ac reliqui. *Æque*, inquam, non magis. Ergo, pro solis libris qui ex jure communi censuræ obnoxii sunt, quos dedimus **21-23** 5.

---

[1] Dispositiones istius articuli non respiciunt Regulares. Cfr. PENN. *A. S. S.* l. c. n. 79 p. 506, 508, 512.

[2] Nobiscum PENN. *A. S. S.* l. c. n. 79 p. 509, contra PÉRIÈS op. cit. p. 209, 210. — [3] *A. S. S.* l. c. n. 79 p. 511. — [4] t. 71, p. 369.

[5] Certa nobis videtur hæc sententia, quam docent etiam HOLLWECK p. 56 not. 2; GÉNICOT 460. Fundamento caret et a communi praxi est aliena, mira sententia DILGSKRON (*Anal. eccl.* 1897 p. 227), secundum quam indigerent Regulares licentia utriusque Prælati etiam pro libris argumenti mere profani!

Quousque insuper Prælati proprii requiratur facultas.

b) Commemoratur insuper decr. Trid. s. 4 de editione et usu sacrorum librorum, quo præterea tenentur obtinere facultatem proprii Prælati. Sed quia, in illo decreto, sermo est tantum de libris Sacrarum Scripturarum, annotationibus et commentariis, iisdem videtur circumscribi lex *pontificia* de petenda facultate *Prælati* proprii. Cfr. DESJARDINS T. 71, p. 365 [1]. At quoad alia opera stabunt propriis constitutionibus.

Quinam Regulares.

2) *Regulares* intelligendi sunt *stricte tales* [2]. Qui latius tales appellantur multo minus evadent censuram Ordinarii. De cetero servabunt proprias Regulas.

[1] Sunt qui putent a CLEMENTIS VIII Instr[e], præscriptionem istam fuisse ad omnem librum extensam. Sic GENNARI (*Monit.* l. c. p. 108, 109), GÉNICOT (op. cit. 460) et PENNACCHI (*A. S. S.* l. c. n. 73 p. 493). Sed, iisdem quibus noster articulus verbis, Instructio illa provocat ad decretum conc. Tridentini. Quare vim factæ illationis non percipimus. Hanc tamen etiam admittit BOUDINHON in *Canoniste contemporain* 1898 p. 147.

[2] Sunt autem *solemniter* professi, et, ex C. GREGORII XIII, *Ascendente Domino*, etiam simpliciter professi Soc. Jesu. De simpliciter professis aliorum Ordinum dubitatur. Cfr. BIZZARRI *Collectanea* 1[a] edit. p. 801 nota.

CAPUT QUARTUM.

De Sanctionibus harum legum, et facultate legendi et retinendi opera prohibita.

SECTIO I. — DE SANCTIONIBUS.

Art. I. — Reatus culpæ. 28

Decreta illa continent præcepta et prohibitiones quæ *gravem* inducunt *reatum culpæ*, ubi gravis est materia. Ita semper intellectæ sunt hujusmodi leges ; verba sonant strictum præceptum vel prohibitionem, quæ etiam, in duplici casu sanciuntur gravissima pœna excommunicationis [1] latæ sententiæ. Simul etiam non jam ambigitur dari parvitatem materiæ. Inde quæstio, quæ materia gravis censeatur.

Culpa est gravis ex genere suo.

I. — Quoad libros.

1) Jam vero quod attinet ad *libros*, lethale admittit, qui *legit* partem notabilem libri prohibiti [2]. Hæc e natura loci qui legi-

Gravis materia in lectione.

[1] Jam hic observes, nulla excommunicatione, ex c. *Officiorum*, plecti lectionem pravarum ephemeridum.

[2] Num id sine exceptione est affirmandum? Id non putat cl. BOUDINHON, qui in fine suæ Commentationis (*Canoniste* 1898 p. 662-668) eleganter et satis ample hanc versat quæstionem. Et cum ipso censemus *veniadem tantum* fore culpam illius qui servaret et adhiberet librum devotionis, *de se innocuum*, prohibitum tamen, ex art. 10 nostræ Constitutionis, ob defectum censuræ præviæ. Similis casus intercedere potest pro legendo libro innocuo qui narret facta miraculosa atque editus sit sine licentia requisita art° 13.

Cave tamen ne id transferas ad editiones acatholicas sacrorum Bibliorum. Nimis directe enim ad fidei causam pertinent sanctiones quæ de hac re sunt latæ, ut non existimentur graves.

Imo non possumus consentire cum cl. BOUDINHON, qui etiam circa libros *nominatim* Indicis catalogo insertos, distinctione censet esse utendum, pro fine et ratione prohibitionis. Quando enim, in tanto numero librorum plane vel aliqua ratione improbandorum, quosdam seligit et speciali nota inurit Ecclesia, nonne satis manifestat rem tunc agi suo judicio gravem, quæ magnopere conferat ad finem legum Indicis?

tur satis communiter definitur. Ex S. ALPHONSO [1], graviter peccat qui paucas lineas legit, quas observat (in libro hæretico) directe contra fidem adversari; contra, integra pagina (etiam magni voluminis), in qua non advertitur error, videtur adhuc cum SANCHEZ etc. dicenda parva materia. Recentiores fere consentiunt cum S. ALPHONSO. LUGO tamen [2], etsi in eamdem sententiam magis propendet, practice tamen probabilem existimat opinionem eorum qui negant paucis lineis partem notabilem constitui, licet hæresim contineant.

Nobis autem semper valde severa visa est opinio satis recepta, quæ gravem quantitatem æstimat unam paginam, etsi hæc nulla labe fuerit infecta. Non enim jam, ut antiqui, fere unice præ oculis habemus libros hæreticorum. Quare, saltem cum de justo agitur volumine, nobis valde arridet sententia HOLLWECK [3], qui sex circiter postulat paginas. Vix enim justi voluminis efficiunt hæ 1750 partem.

In retentione.

2) *Retentio* autem, ut cum communi loquamur, censetur *gravis* ultra biduum vel triduum. Rursus HOLLWECK [4], ex eo arguens quod ad tradendum librum sæpe a Pontificibus terminus statuebatur octo dierum, ad hoc spatium definit gravem quantitatem.

De bibliopego et famulis.

Diuturnior autem mora, non tamen, ait HOLLWECK [5], ultra mensem, a gravi excusabitur, si facta fuerit animo tradendi, *prima occasione*, librum alicui qui habeat facultatem, vel si ipse retinens hanc sibi mox futuram speret. Quomodo excusetur ille *qui libros compingit*, vidimus supra II 4. Similis

---

Sane in præsenti catalogo occurrere possunt prohibitiones gravi jam destitutæ ratione vel etiam obsoletæ. Quare ipsa S. Sedes jussit ipsum reformari; non ideo tamen privatorum arbitrio quidpiam indulsit. Novus autem catalogus, utpote novæ Constitutioni consentaneus, ea paratur mente atque consilio quæ prohibitionis per se levis magis amoveat suspicionem. Quod attinet ergo ad libros speciali Decreto prohibitos, non alia arbitramur concedenda temperamenta gravis prohibitionis aliquem servandi vel legendi, nisi quæ in textu indicamus, vel quæ fortasse induxerit consuetudo. Summum id adhuc permittere possimus, ut levis haberi queat lectio vel retentio libri prohibiti per speciale Decretum, quando ipso Decreto allegatur ut ratio prohibitionis omissio cujusdam Bullæ, vel quid simile. *Editio* autem libri, quacumque ratione prohibiti, merito a cl. BOUDINHON semper gravis judicatur.

[1] l. 7. n. 284. — [2] d. 21. n. 83. — [3] op. cit. p. 23. In hac et proxime sequenti definitione materiæ gravis, nos probat BOUDINHON *Canoniste* 1898, p. 555, 557. — [4] op. cit. p. 25 nota 3.

[5] Infra mensem enim licentia etiam a S. Sede impetrari valet. Et plerumque sufficit recursus ad Episcopi extraordinarias facultates.

est causa *famuli*, quem jam LUGO[1] et plures alii excusant, si retineat pro domino habente facultatem.

II. — Quoad folia et libellos periodicos.

2

Benignius est hic respondendum.

Non plane idem est casus libri, et diarii vel libelli periodici. Liber simul totus habetur, ita ut ex lecto uno loco[2] facile traharis ad reliqua legenda. Nec in libro solet esse manifestum quænam partes sint innocuæ. Contra, cum seorsim edantur folia periodica, minus est periculum continuandi lectionem; et ex distinctis titulis facile discernuntur partes quæ sint plane indifferentis argumenti: puta nuncios mercatorios. Denique, ut jam observavimus, peculiari modo effertur prohibitio, tanquam confirmatio prohibitionis jam per se factæ ex jure naturæ[3].

Quare dilatandos hic censemus fines materiæ levis[4]; atque, ut nostrum judicium, salvo meliori, proferamus, has damus practicas indicationes:

Quoad lectionem materia gravis et levis.

1) Quod ad *lectionem* attinet: *Grave est: a) Habitualiter* et moraliter ex toto legere hujusmodi folia, etiamsi omittas locum specialiter Religioni repugnantem. Habitualis enim lectio periculum facit per se grave, ne paulatim prava tendentia ephemeridis imbuaris, vel ad hujus generis diaria ita afficiaris ut ea nolis jam deserere, et nullam jam prætereas partem.

Nec multum refert utrum idem diarium, an diversa sed ejusdem generis legas.

Quandoque grave erit: *b) Legere unum articulum* peculiariter repugnantem moribus aut religioni. Id facilius continget circa mores quam circa religionem. Locus enim valde impius, nisi simul ex modo arguto proponendi errorem valde

---

[1] l. c. n. 84.

[2] Istud periculum tanquam causa saltem partialis indicatur, cur grave sit legere partes in se innocuas. HOLLWECK, op. cit. p. 23.

[3] Imo nonne ex hac ratione enunciandi prohibitionem, mutuari possis *formale* idque distinctum principium, unde definias in hac re materiam gravem? Id arbitramur. Et sic illud reddimus: Quæ materia *ex se*, ratione periculi proximi vel scandali, gravis fuerit pro lege naturali, eadem gravis est reputanda pro violatione legis positivæ, etsi *per accidens*, in casu concreto majus vel minus fuerit periculum.

[4] Etiam GÉNICOT, op. cit. 455, paulo benignius hic judicandum autumat, quam quum de libris agitur, "ne in destructionem potius quam in ædificationem cedat eorum proscriptio".

fuerit suasivus, tantum periculum non facit, cum potius horrorem ingerat; dum unus tractus obscenus, per se est valde damnosus.

Grave est : *c*) Legere in his adjunctis quæ per se pariant *grave* aliorum *scandalum*. Gradus scandali plurimum hic pendet ex auctoritate legentis. Facilius grave erit si coram aliis legat clericus, persona notæ pietatis, aut si pater coram filiis, quam si fecerit persona laica, ignota, extranea.

Veniale contra erit ratione *materiæ* : *a*) *Identidem* in aliquo ex istis foliis ea legere quæ religionem non impugnant nisi obiter tantum; seu omittendo locos qui per se continent periculum proximum. Alias : sine præviso periculo unum aliumve numerum pervolvere, secluso scandalo;

b) Legere etiam *sæpius* (quidni habitualiter?) ea quæ *constat plane* esse innocua [1], v. gr. nuncios mercatorios. Intelligas semper : remoto scandalo.

Insuper ob adhibitas quasdam cautiones quæ *per se* minuunt periculum, ut si legas diarium catholicum boni nominis et meriti, minui posse reatum non diffitemur.

Inde etiam justa urgente causa, remoto periculo ruinæ vel scandali, et quando commode facultas peti nequit, sine peccato quis leget in casu singulari diarium proscriptum. Nam a veniali prohibitione juris positivi excusat causa rationabilis [2].

Quoad retentionem, materia gravis et levis.

2) Quoad *emptionem* et *retentionem* : Quia prohibita lectione alicujus operis, prohibetur etiam ut quid consequens, ejusdem operis emptio et retentio;

Grave etiam censemus : *a*) ex subscriptione annua vel ad tres menses (*abonnement*) hujusmodi recipere folia. Accedit ratio cooperationis, quam proportionata tamen causa excusare potest;

b) Domi ea in notabili quantitate colligere [3].

Observes tamen librum per se vix teneri posse, quin periculum sit ne legatur; dum facilius et satis sæpe veteres

[1] In ephemeride enim distinguere possumus *a*) articulos ubi ex professo exhibent animum suum religioni vel moribus infensum. *b*) Partes ubi indirecte sed plus minus facile, pro indole ephemeridis, instillantur venena. Ita in nunciis politicis, variis (faits divers). *c*) Partes quæ solent innocuæ esse : quæ attinent ad negociationes.

[2] GÉNICOT, op. cit. I, 455.

[3] V. gr. continuam seriem quindecim foliorum, vel triginta non continua.

ephemerides destinationem obtinent plane diversam. Num grave fuerit emere vel retinere collectionem foliorum ad usum qui omne periculum lectionis excludat? Id certe dubitamus.

N. B. In toto hoc articulo mere perpendimus gravitatem quæ oritur ex violatione *legis positivæ*. Prohibitio legis naturalis, pro ratione periculi, erit gravior vel levior.

N.B. *Quid ex lege naturæ.*

Practice, Confessarius quam maxime eniti debet, ut, rejectis variis prætextibus, cessent fideles a legendis pravis foliis. "Verum, ubi pœnitens aut non ita assidue prava diaria legit, aut, ob quamlibet rationem, experientia dignoscitur a periculo proximo immunis esse, sæpe prudentis confessarii erit positivam prohibitionem reticere vel parum urgere, ne quid deterius contingat". Ita GÉNICOT, op. cit. I, 455.

Practica norma pro Confessario.

III. — Quoad cetera legis præcepta.

3

Cetera præcepta similiter sunt prudenti judicio pensanda. Sic v. gr. non dixerim grave committi si, libro ceterum probato, omiseris indicationes auctoris etc. art. 43 præscriptas; vel si pro exiguo et innocuo opusculo, neglexeris censuræ solemnitatem.

Quid v.gr. si omittas indicationes art. 43, censuram.

Art. II. — Libri prohibitio.

29

Omissio exquirendæ *censuræ* præviæ, *quandoque* infert *prohibitionem* libri. *Quandoque* inquam, seu in casibus indicatis n. 10 3, 14 1, 2, 4 et 15 2 : nulla enim est universalis dispositio prohibens. Neque antea aliquam fuisse, ostendit HEYMANS, op. cit. n. 194. Cfr. dicta n. 11 9.

An hæc sit perpetua sanctio?

Art. III. — Denunciatio. (art. 27 et 28.)

30

Catholicorum omnium est *pravos libros denunciare* Episcopis aut Apostolicæ Sedi (art. 27). Non tamen speciale conditur præceptum [1], sed designantur *Nuncii, Delegati apostolici* [2], *locorum Ordinarii* atque *Rectores Universitatum*

Ad quosnam spectet.

[1] Contra HOLLWECK, op. cit. p. 59, qui autumat positivum etsi mite addi præceptum.

[2] Delegati apostolici sunt, qui ex commissione apostolica simile

tanquam personæ quibus id maxime congruit; consilium datur ut indicentur causæ ob quas liber nota censoria dignus reputetur, et subjungitur : " iis ad quos denunciatio defertur sanctum erit denunciantium nomina secreta servare ". (art. 28.) Nulla porro forma præscribitur. Simplices fideles melius rem deferent ad Episcopum, quamquam non prohibentur scribere ad S. Officium, S. Indicis Congr., vel si ex loco ei subjecto, ad S. Congr. de Propaganda Fide.

Cautio de secreto.

Modum vero quo procedere soleat S. INDICIS Congregatio, habes ex BEN. XIV. C. *Sollicita*, vel apud PÉRIÈS, op. cit. p. 166-173.

31 **Art. IV. — Pœnæ ferendæ sententiæ.** (art. 49.)

A quonam.

Ex art. 49, monendi sunt ab Ordinario et etiam, si opportunum videbitur, *canonicis pœnis coercendi* [1], qui transgrediuntur præcepta horum Decretorum, præter duos casus in quibus innovantur censuræ latæ sententiæ. Hos statim subjicimus.

32 **Art. V. — Excommunicatio latæ sententiæ, specialiter reservata S. Sedi.** (art. 47.)

" Omnes et singuli *scienter legentes*, sine auctoritate Sedis Apostolicæ, *libros apostatarum et hæreticorum hæresim propugnantes*, necnon libros cujusvis auctoris *per apostolicas literas nominatim prohibitos*, eosdemque libros *retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes, excommunicationem* ipso facto incurrunt, *R. Pontifici speciali modo reservatam* " (art. 47). Sic iisdem verbis repetitur Excommunicatio lata Const. *Apostolicæ Sedis*, n° 2° 1^ae^ seriei. Similem per se accipiet interpretationem. Unde :

Quid scienter.

1) " *Scienter* ". Qua voce excipitur casus cujuslibet ignorantiæ, etiam, probabiliter, affectatæ. Refertur autem vox etiam ad retinentes, etc.

Legentes libros. An fasciculi periodici sint libri hæreticorum.

2) " *Legentes* " libros in quantitate notabili. Cfr. hic supra

Nunciis vel locorum Ordinariis munus gerunt : v. gr. Administratores apostolici alicujus Diœcesis, Vicarii apostolici.

[1] Hæc est sanctio quæ dicitur pœnæ arbitrariæ.

28, 1. Quinam autem sint legentes dictum est c. 1. n. **11,** 3. Ibidem etiam perpendimus quid libri nomine veniat, et qua ratione publicationes periodicæ hac dictione comprehendantur. Exinde, ut *quâ liber* tueantur hæresim, requiritur ut vel id faciat articulus qui sat longus sit ut pro libro sit habendus, vel ut ipsæ publicationes periodicæ hanc sat generalem habeant indolem.

Quid apostatæ.

3) "*Apostatarum*". Hos supra definimus eos esse qui *christianam* fidem externe et interne penitus abjiciunt, sive transeant ad errores Mahumeti, etc., sive simpliciter fiant perfecti "*liberi cogitatores*". Cfr. AVANZ. p. 8.

Hæretici et liber hæretici.

4) "Et *Hæreticorum*". Oportet ut plane constet de hæresi, sive ex secta hæretica ad quam scriptor pertinet, sive, quum liber est anonymus, vel auctoris hucusque catholici, ex doctrina *manifesta*[1], et pertinaciter proposita.

Hujusmodi ergo non sunt libri qui *principaliter* sunt *auctoris catholici*, licet hæreticus subjecerit scholia, nisi hæc major sint pars libri; nec qui referunt aliquem textum hæreticorum "etiamsi animo discendi hæresim legas". LAYM.[2]. Cfr. PIAT[3], contra ARNDT[4].

Nec libri hæreticorum qui ad *prima secula* Ecclesiæ pertinent, utpote omnino nunc innoxii, LEHMKUHL, II, 923, hic comprehenduntur. Cfr. supra n. **13,** 1.

Hæresim propugnare.

5) "*Hæresim propugnantes*". Non mere continentes, aut breviter quasi aliud agendo defendentes, sed data opera, rationes adducendo. Non opus est autem ut argumentum libri sit religiosum. Satis est ut unam hæresim hoc modo tueatur.

Prohibitio

6) "Necnon libros cujusvis Auctoris *per Apostolicas literas nominatim prohibitos*" Hæc clausula requirit:

Per Apostolicas literas,

a) *Apostolicas literas*, seu literas immediate a S. Pontifice proficiscentes: Breve, Bullam, Encyclicam, etc. PIAT, ad V. der Velden p. 623.

Nominatim facta.

b) Prohibitionem *nominatim* factam, i. e. qua liber per proprium titulum designetur. Non tamen postulatur designatio *singularis* v. gr. auctoris. Imo sufficere videtur generica tituli indicatio. Inde censet B. P.[5] clausulam verificari

[1] LEHMK. II, n. 923; BUCC. II, p. 339; B. P. T. 7, n. 424.
[2] L. 2. Tr. 1. c. 15. n. 1. — [3] Ad V. der Velden, p. 621.
[4] P. 124, 3, n. 103.
[5] De Cens. T. 7, 456. Contra tamen, PIAT op. cit. p. 625, quia opera post hanc Bullam edita, nequeant dici *nominatim* per eam prohibita.

in Constitutione *Ecclesiam*, quâ 1821 a PIO VII prohibiti sunt sub excommunicatione S. Pontifici reservata, "*catechismi* Carbonariorum, libri quibus describunt quæ geri solent in eorum conventibus, *statuta*, *codices*". Non autem satis est dispositio quâ v. gr. INNOCENTIUS XI damnavit omnes libros et scripta Michaëlis Molinos. Cfr. AVANZ.-PENN. Append. III.

Requiritur facta sub exc. reservata S. Sedi,

c) Prohibitionem *sub excommunicatione reservata S. Sedi.* Ita communis: AVANZINI[1], LEHMKUHL[2], BUCCERONI[3], etc. Ratio desumitur ex scopo C. Apostolicæ Sedis, quâ censura hæc lata fuit. Voluit enim PIUS IX coarctare censuras. Nullatenus ergo verisimile foret ipsum sub gravissima censura (*specialiter* reservata) prohibuisse libros, quos sine excommunicatione reservata damnassent decessores. Cfr. AVANZINI, l. c. Quare si v. gr. opus LAMENNAIS *Les paroles d'un croyant* legas sine facultate, nullam commiseris pontificiam censuram, cum literæ apostolicæ quibus reprobatur nullam contineant. Idem casus est operum Jacobi FROSCHAMMER.

non tamen specialiter.

d) Non tamen opus est ut literæ istæ ferant pœnam excommunicationis *specialiter* reservatam : secus nihil speciale efficeret præsens clausula. Ita auctores. Denique dispositio afficit proscriptiones futuras æque ac præteritas.

Paucis ergo, hæc est hujus clausulæ vis, ut libri quos jam antea vel in posterum S. Pontifex per literas apostolicas proscripserit sub pœna excomm. l. s. sibi reservatæ, jam intelligantur *speciali* reservatione affecti. Cfr. AVANZ. p. 129.

N. B. Ostendit idem auctor[4], in hujusmodi damnationes non esse inquirendum nisi ab ineunte superiore seculo. Exempli instar, indicabo J. NUYTS tum Institutiones Ecclesiasticas, tum Tractationes in jus ecclesiasticum universum, ex Brevi PII IX *Ad Apostolicæ* 22 Aug. 1851. AVANZINI, p. 123.

Quando uam retinentes plectantur.

7) "Eosdemque libros *retinentes*" : scienter et eo modo quo sub gravi prohibetur. Cfr. supra **11**, 4 et **28**, 1 2).

Quinam imprimentes.

8) "*Imprimentes*" in commentariis C. *Apostolicæ Sedis*, intelligebantur omnes *proxime*, cooperatione mortali, cooperantes ad impressionem. Cfr. LEHMK. II, 924.

Sed, ex canone generali quem proposuimus sub initio, non

[1] Append. III, p. 126-129.— [2] II, n. 923. — [3] P. 340.— [4] P. 130, 131.

vetamur, posthabito superiore jure, secundum præsentis Constitutionis indolem explicare hanc censuram. Jam vero videtur satis absonum ut eadem vox " Imprimentes " diverso sensu accipiatur in duobus articulis quorum alter alterum excipit. In art. autem 48, nisi velimus, sine cogente ratione, strictius quam olim interpretari verba, *imprimens* ille est qui opus imprimendum suscipit : *impressor* nempe, quem gallice proprie appellamus l'*Imprimeur*. Aliunde valde congruit benignæ nostræ legi, non plectere censura opifices istos qui de libris ad quorum impressionem cooperantur judicium ferre nequeunt, pœnam latam plerumque ignorabunt, nec raro morali necessitate a contumacia excusantur. Quocirca nobis non displicet sententia HOLLWECK [1], ex qua imprimentes sint solus *editor* et "*impressor*". *Corrector* tamen plectetur qua legens. Nobiscum de opificibus BOUDINHON [2].

Defendentes.

9) " Et *quomodolibet* defendentes ". Cfr. 117.

Observes, cum censura feriat eadem ratione, *directa* nempe et *principali*, legentes, retinentes, imprimentes et *defendentes*, defensionem considerari ut delictum per se consistens. Quare non est opus ut effectus defensionis fuerit obtentus, seu ut reapse librum flammis v. gr. eripuerint. Ipsa defensione censetur actus consummatus. Cfr. v. gr. LEHMK. l. c.

Quæ vis specialis reservationis.

10) " *Ipso facto exc. S. P. specialiter reservatam* ". Specialis porro reservatio hæc operatur : *a*) ut neque Episcopi possint pro hoc casu, etiamsi occulto, uti facultate quam tenent ex cap. *Liceat* C. Tridentini ; neque casus censeatur contentus facultate simpliciter data absolvendi a reservatis.

b) Ut qui sine facultate quempiam absolvere præsumpserit ab ista excommunicatione, committat excommuuicationem *simpliciter* S. Sedi reservatam ex C. *Ap^ae Sedis* (post primam seriem).

c) Ut absolutus, etiam in periculo mortis, per inferiorem (i. e. eum qui non habuerit saltem delegatam facultatem), debeat, sub pœna reincidentiæ in censuras, postquam convaluerit, intra mensem, vel novam petere absolutionem ab habente facultatem, vel per epistolam ipse per se aut mediante Confessario recurrere ad S. Sedem ejusque mandatis parere.

[1] Op. cit. p. 48, 49, not. 1 et 2. — [2] *Canoniste* 1898 p. 560.

33 **Art. VI. — Excommunic. l. s. nemini reservata.**

(art. 48.)

" Qui *sine Ordinarii approbatione*, sacrarum Scripturarum libros, vel earumdem annotationes vel commentarios *imprimunt* aut *imprimi faciunt*, incidunt ipso facto in *excommunicationem nemini reservatam* " (art. 48). Sic, clarius eam exprimendo, innovatur exc. TRIDENT.[1], quæ tamen solos libros anonymos feriebat, dum, juxta interpretes C. *Apostolicæ Sedis* (quæ eamdem censuram confirmabat), nunc comprehenduntur etiam libri qui nomen Auctoris præ se ferunt :

Discrimen cum Tridª censura.

Oportet ut ne data quidem fuerit Ordinarii approbatio.

1) " Sine *Ordinarii approbatione* ". Satis est, ad effugiendam censuram, ut data sit, licet forte non in scriptis nec in libro apposita. Et quamvis *regulares* præterea indigeant licentia sui Prælati, non committunt excomm. si unice ab Ordinario loci approbetur liber.

Quin. Imprimentes.

2) " *Imprimentes* ", præsente casu, ii tantummodo videntur esse qui vel domini sunt typographiæ, vel eorum personam sustinent, ita ut rem eorum nomine gerant. Eas enim jussiones et pœnas continet textus Tridentinus l. c. quæ opificibus etc. accommodari nequeant. Cfr. PENNACCHI [2], BALLERINI 3, ARNDT 4, HOLLWECK 5, contra PIAT (ad Van der Velden) p. 861.

Imprimi facientes.

3) " *Imprimi facientes* " : ut editor libri, is cujus cura liber imprimitur; non necessario auctor, v. gr. si mere dedit aut vendidit manuscriptum, nihil impressionem curans.

Quis absolvat ab hac excommunicatione.

4) " Excomm. *nemini* reservatam ". A qua ergo omnis Confessarius absolvere potest, modo cessaverit contumacia.

—※—※—

[1] S. 4. (Decr. de editione et usu sacrorum librorum).
[2] AVANZ.-PENN. T. 2 append. 38, p. 232. — [3] Nota 62 ad Gury, II, 789.
[4] Op. cit. p. 246, 247, n. 180.
[5] L. c. Plane nescimus quomodo sententiam quæ clarum fundamentum habet in textu Tridentino, et quam defendunt isti patroni, a C. V. C. *Collat. Brug.* p. 551 nimiæ benignitatis argui possit.

SECTIO II. — DE FACULTATE LEGENDI ET RETINENDI OPERA PROHIBITA.

Art. I. — Necessitas licentiæ. An præsumi possit. (art. 23.) 34

Semper impetranda est generalis facultas.

Quia lex non tam ratione *perfecte absoluta* [1] prohibet lectionem etc. librorum qui æstimentur pravi vel suspecti, quam vetat ne hæc fiant *sine competente licentia* : quamdiu hanc petendi datur copia, allegari nequit incommodum quo excuseris a lege. Quare *generalis facultas* præsumi nequit, sed est semper formaliter petenda.

Moralis necessitas excusat a lege in casu particulari.

Actuales tamen exceptiones a lege, si quando, *ex assumpto officio, moralis* te premat *necessitas* legendi damnatum aliquod opus, videntur admitti posse etiam nulla petita facultate, dummodo, ut patet, proximum vitetur periculum peccati [2]. In hac necessitate versari potest judex, advocatus in forensi controversia ; persona cui specialiter, ex art. 27, competit facienda denunciatio, ad certum librum deferendum ; superior ecclesiasticus ad hunc examinandum et reprobandum ; scriptor diarii catholici ad prompte respondendum ; adolescens qui ad audiendas prælectiones quas licite frequentat, vel ad periculum faciendum in re philosophica vel in literis, cogitur adhibere textus non emendatos ; et, secundum HOLLWECK [3], probabiliter etiam professor theologiæ moralis, quatenus necesse habeat cognoscere aliquo modo libros obscenos, pro quibus non conceditur facultas. His enim casibus licentia legendi continetur ipsa facultate exercendi talis officii ; vel finis legis dici potest *contrarie* cessare et locus esse *epikeiæ*. Contrarie enim cessat, ut fuse explicat LUGO [4], quum ipsum bonum commune postulat ut legis vinculum in casu particulari auferatur. Porro e re publica est ut pii et catholici viri officiis et muneribus exercendis non prohibeantur. Cfrs. HOLLWECK [5], GÉNICOT [6].

---

[1] Si demas libros ex professo obscenos, pro quibus non datur generalis facultas.

[2] Melius tamen, si fieri potest, impetrabunt licentiam ; imo hanc exigere videtur PENN. *A. S. S.* n. 61 p. 387.

[3] Op. cit. p. 32, 33, not. 1. — [4] *De Fide*, d. 21, n. 63-66. — [5] Op. cit. p. 32, 33, not. 1. — [6] Op. cit. 1, 452, 4.

Quid de gravi utilitate.

Contrarie etiam cessat finis legis, si *gravis utilitas* postulaverit ut facias quid per se prohibitum, nec copia sit adeundi superiorem pro licentia. Casum dant disputationis cum hæretico, si, ad ipsum convertendum, opus tibi sit ostendere in auctore hæretico contradictionem, et spem habeas fructus. LAYMANN. Th. mor. l. c. Tr. 1, c. 15, n. 5.

Non autem sufficit ratio impugnandi hæreticos in communi, cum præsto sit opportunitas petendi licentiam, et bonum commune requirat ne privato tuo arbitrio te dispenses. Cfr. LUGO l. c. n. 66. ARNDT p. 259, 260, n. 185.

35 ## Art. II. — Quis dare possit facultatem.

§ I. — *Quoad libros a S. Sede proscriptos.*

1 **I. — Quinam per se possint generalem dare facultatem.** (art. 24.)

Quis generalem ex pot. ordinaria.

Generalem facultatem legendi et retinendi libros sive specialibus sive generalibus Decretis prohibitos, dare possunt *S. Indicis* Congregatio, *S. Officium*, et pro regionibus suo regimini subjectis, *S. C. de Propaganda fide*. " Pro Urbe tantum, hæc facultas competit etiam Sacri Palatii Apostolici Magistro " [1] (art. 24).

1 bis **II. — Quid possint Episcopi et Prælati jurisdictione quasi episcopali pollentes.** (art. 25.)

" *Episcopi* aliique *prælati jurisdictione quasi episcopali* pollentes " " pro *singularibus libris*, atque in casibus tantum urgentibus licentiam concedere valeant " (art. 25). Id jam admiserat S. ALPHONSUS, Append. c. 5, n. 2.

Quinam Prælati hic intelligantur.

1. Hujusmodi Prælati, sunt Nuncii[2], Vicarii Apostolici Abbates Nullius (diœcesis), atque Superiores Regularium exemptorum, tum Generales, tum Provinciales, tum etiam

[1] Nomen est unius ex præstantioribus Urbis prælatis, qui adest Card. Præfecto Indicis in consilio, et munus censoris exercet in Urbe. Eligitur semper in Dominicana familia, atque non ita pridem munus commissum est R. P. F. ALB. LEPIDI.

[2] Satis ad hoc vigere videtur principium ex quo poterant regulariter ea " quæ Ordinarius in sua Diœcesi ". PIRHING et SCHMALZ 1. 30. 4.

probabiliter *Locales*[1], modo veram in subditos possideant jurisdictionem ordinariam. In horum numero sunt *Guardiani*, *Priores* qui veræ præsunt monasterio, (non ii qui subsunt Abbati), et, in Societate Jesu, *Rectores*, et *Vice-Rectores*, non item Ministri[2].

Eadem potestas competit Vicario Generali, non qua Prælato, sed quatenus veluti unus cum Episcopo judex exercet jurisdictionem Episcopalem. Decani, Parochi, etc. eamdem accipere possunt ex generali aut speciali delegatione facta ab Episcopo. Quum enim potestas ista sit Ordinaria in Prælatis habentibus quasi episcopalem jurisdictionem, est simpliciter delegabilis, ut ceterum requiritur pro expediente ejus usu.

2) Sæpe prædictis Prælatis majores *delegantur* a Sede Apostolica facultates concedendi suis subditis generalem licentiam legendi et retinendi libros prohibitos. Huic peculiari delegationi alludit art. 23. *Iidem dant generalem facultatem, ex delegatione.*

Hanc si obtinuerit Episcopus, videtur ea uti posse etiam in gratiam Regularium, ne deterioris sint conditionis, neve favor exemptionis cedat in eorum detrimentum.

Porro quoad suam *interpretationem :* Facultates istæ, ut

---

[1] Cfr. PIAT *Prælect. Jur. Regul.* T. 2 p. 4 et 79. Contra PENN. *A. S. S.* l. c. n. 63 p. 385.

[2] Immerito cl. PENNACCHI *A. S. S.* n. 63 p. 385 usu hujus facultatis excludit omnes Prælatos regulares quorum auctoritas, monachis circumscripta, non exerceatur in aliquem populum. Rationem dat, quia in posteriore parte articuli 25, Legislator casum ponat quo hujusmodi Prælati obtinuerint a S. Sede facultatem impertiendi fidelibus licentiam legendi et libros prohibitos. Eos ergo Prælatos unice intelligendos esse qui haberent *fideles*. Fidelium autem nomine, non venire nisi "homines seculares et in statu laicali degentes". Sed quid prohibet quin in binis sententiis dictio quædam accipiatur sensu qui utrique sententiæ sit accommodus? In priore ergo, Prælati jurisdictione quasi-episcopali pollentes, erunt omnes qui solent hoc nomine venire; in altera ii erunt qui "de facto" habent fideles. Ceterum quid plura? Etiamsi articulus iste conceptis verbis non includeret Prælatos regulares, præterire non oportuit Constitutionem *Romani Pontificis circumspecta*, S. PII V, quæ in universum disponit : "Ipsi Prælati regulares per seipsos idem omnino possint in Fratres et Moniales ... sibi subditos, quod possunt Episcopi in clericos et laicos sibi subjectos tam *quoad absolvendi et dispensandi* hujusmodi, quam alias quascunque facultates, eadem auctoritate ac tenore, etiam *perpetuo* concedimus, et indulgemus ac etiam declaramus". Quam Constitutionem adhuc vigere, ostendit PIAT Præl. Jur. regul. T. 2 p. 87 nota 2. Hæc concessio plane sufficit in præsenti specie. Cfr. et principium generale apud SUAR. De Relig. Tr. 8 l. 2 c. 12.

Delegatæ facultatis interpretatio.

ipsa potestas generalis dispensandi, sunt *latæ interpretationis*. Est enim privilegium præter jus. Ita communissima sententia. Cfr. d'ANNIBALE[1]. HOLLWECK[2] permiscet in hac re dispensationem et dispensandi facultatem.

Clausulæ.

Quoad *usum* vero hujusmodi facultatum :

a) Episcopi bene *observent* sibi *præstitutos fines* quibus delegatio circumscribitur.

Ita non ad omnes libros concedendos pertingere solet, sed excipiuntur quidam nominatim designati vel quædam librorum classes. Nunquam v. gr. delegatio datur ad permittendos libros ex professo obscenos.

Sæpe, præsertim pro libris contra Religionem, iis tantum personis quæ certa qualitate sint instructæ, Episcopi concedere possunt facultatem.

Dum semper requiritur ut nonnisi cum delectu et ex justa et rationabili causa hanc veniam Episcopi concedant (art. 25), ipsa causa quandoque taxative indicatur : " ad effectum eos impugnandi ".

Ex formula ordinaria, Episcopus non potest concedere facultatem nisi *ad tempus*. Ad tempus adhuc probabiliter censetur concessa facultas, quæ datur usque *ad revocationem*. Nec obstat quod Episcopus eas facultates ad quinquennium receperit[3].

b) In concessione, *memorare* debent *auctoritatem apostolicam* ex qua agant.

c) *Gratis* omnino est danda facultas.

2

§ 2. — *Quoad libros ab Episcopis prohibitos.*

(art. 26, 1ª p.)

Quis det directe facultatem.

1) Facultatem legendi *libros a se proscriptos, diœcesanis* (qui soli hac prohibitione ligantur)[4] concedunt *Ordinarii*, et ii quibus hanc fecerunt potestatem.

Num apostolico Indulto censeatur contenta.

2) Nisi autem " in apostolico Indulto expresse facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a *quibuscumque* damnatos ", apostolica facultas legendi libros prohibitos, non

[1] *Summula* I, 234 et nota 33. — [2] Op. cit. p. 40 nota.

[3] ZITELLI, *Apparatus juris eccles.* Editio altera p. 541 nota; ARNDT, op. cit. p. 252; PLANCHARD, *Rev. th. fr.* 1897, p. 31, 32. A p. 21-35 agit de facultate legendi libros prohibitos.

[4] SCHMALZ, V. 33, 113.

porrigitur ad libros et ephemerides ab Ordinariis proscripta (art. 26).

Condunt enim legem particularem (etsi tamquam delegati ab Apostolica Sede librum quempiam damnarint), in quâ per generalem facultatem non censetur dispensari.

Art. III.— Quomodo facultas sit interpretanda. 36

I. — Num late accipienda. Num facultas pro libris afficit ephemerides. 1

1) *Facultas* (præsertim generalis) legendi etc. videtur nobis latam accipere interpretationem. Ita reapse variæ clausulæ, ut probant exempla hic statim subjecta, sat communiter intelliguntur. Nec obstat quod *dispensatio* stricte sit interpretanda. Hic enim minus agitur dispensatio, quæ legem vulnerat, quam *licentia* per quam lex observatur, cum ex capite 9° Constitutionis, prohibitio non sit absoluta *ne legas* etc. sed *ne legas sine opportuna facultate*. Cfr. SUAREZ de Leg. L. 6, c. 10, n. 11 et c. 11, n. 10.

Lata interpretatio facienda.

2) Facultas legendi *libros* prohibitos, continet facultatem legendi *ephemerides*. Non vice versa, nam in libros severius advertitur. Rationem dat SCHMALZGR.[1] aut ARNDT[2]. Prius autem assertum patet per se, et facile eruitur ex art. 26.

Facultas pro libris an comprehendat ephemerides et contra.

II. — Clausulæ : "exceptis libris ex professo contra Religionem"; "ad effectum eos impugnandi". 2

1) Priore clausula excluduntur probabiliter ii solum libri qui ex professo omni Religioni adversantur. Cfr. supra n. 18 1 bis.

De clausula excipiente libros contra Religionem.

2) Concessio interdum hac clausula vestitur "ad effectum eos (pravos scriptores) impugnandi". Fatentur omnes hanc clausulam esse benigne et sine scrupulo interpretandam[3]. Imo, secundum valde probabilem sententiam, verba illa indicant rationem cur facta sit exemptio, non conditio[4] cui alligatur usus concessæ facultatis : ita ut is ex quolibet recto fine honestetur. Quod ex eo confirmatur, quod simul judica-

Quid de clausula "ad effectum impugnandi".

[1] Cfr. SCHMALGR. V. 7. 50.
[2] Op cit. p. 223, n. 166. Cfr. PENN. *A. S. S.* l. c. n. 64, p. 395.
[3] Cfr. HEYMANS, op. cit. n. 345.
[4] Conditio *sine qua non* solet clarius indicari : *alias non, non aliter; secus totum erit irritum.* ZITELLI, *Apparatus*, p. 541 nota.

vit Superior " dispensato non imminere periculum perversionis ". S. ALPHONSUS[1]. Ita ZITELLI[2], PLANCHARD[3], GÉNICOT[4]. Multo magis id valebit si addatur : " et in proprii officii honestorumque studiorum subsidium ".

3

III. — An ubique uti possis receptâ facultate.

An facultas data, certo territorio circumscribatur.

Facultate facta *a S. Sede ubivis locorum* uti fas est. Per se idem dicendum est de facultate quam ex delegata jurisdictione concedunt Episcopi. Dispensatio enim ex commissione, et dispensatio ex potestate ordinaria per se iisdem finibus continentur. Cfr. SCHMALZGRUEBER[5]. Præterea agitur hic privilegium personale, ut regulariter dispensatio particularis in jure communi[6]. Hoc porro privilegio ubique uti fas est. Cfr. SCHMALZGRUEBER[7], HEYMANS [8].

Tunc ergo solummodo inhiberetur usus extra territorium, si vel Episcopus diœcesi tantum definitam obtineret facultatem; vel ipse expresse in concessionis formula usum facultatis certo loco circumscriberet.

Prior autem restrictionis ratio non legitur in recentioribus formulis delegationum, quas recitant v. gr. ZITELLI[9] et PLANCHARD[10]. Et in novo jure, art. 25, ubi sermo fit de delegatione obtinenda ab Episcopo, nulla conditio exprimitur nisi hæc : ut " nonnisi cum delectu et ex justa et rationabili causa " potestate data utantur.

Ad alteram quod attinet, clausula " ita ut libri ex hac Diœcesi non auferantur ", nobis[11] non videtur hanc limitationem inferre, sed potius huc spectare ut libri, saltem *defi-*

---

[1] L. 7. n. 291. — [2] *Apparatus*, p. 541 nota.
[3] *Rev. th. fr.* 1897, p. 31, 32. — [4] Op. cit. I, 457. — [5] L. 5. t. 33, n. 111.
[6] Cf. SUAREZ, De Legibus, l. 8, c. 26, n. 12. — [7] L. 5, t. 33, n. 113.
[8] Op. cit. n. 343. — [9] *Apparatus*, p. 540.
[10] *Rev. th. fr.* 1897, p. 22-24.
[11] Contra HEYMANS, op. cit. n. 343, et DE BRABANDERE, op. cit. n. 136. Utique is etiam arguit ex verbis "in hac diœcesi" quæ in initio formulæ quam citat habentur. Sed cum ipse hæc priora conjungat cum clausula finali "ita tamen ut libri ejusmodi ex hac diœcesi non efferantur" et binas dictiones majoribus literis exhibeat, patet illustrissimum et doctissimum Præsulem, fortasse auctoritate HEYMANS permotum, etiam hac posteriore inniti, quasi hæc magis perspicuam faceret priorem " in hac diœcesi". Jam vero hoc ratiocinium claudicare arbitramur. Etsi ergo in 1ª editione usi sumus breviloquio, sine falsitate tamen ipsum ut nobis in hac re contrarium poteramus exhibere.

nitiva ratione, in aliam diœcesim non introducantur, etsi dispensatus etiam ibi occurrentes vel secum asportatos libros legere possit.

Art. IV. — Obligatio diligentis custodiæ librorum prohibitorum (art. 26). 37

Cautio adhibenda ab iis qui cum facultate servant opera prohibita.

Caput IX C. *Officiorum ac munerum*, quod agit de hac legendi facultate, in hoc sapiens monitum desinit : " Meminerint insuper qui licentiam legendi libros prohibitos obtinuerunt, *gravi se præcepto* teneri hujusmodi libros ita *custodire* ut ad aliorum manus non perveniant " (art. 26 fine).

Optima erit cautio, quæ tamen, modo aliter satisfiat art. 23, non est stricte præcepta, ut clavibus claudantur pegmata quæ continent proscriptos libros. BOUDINHON (*Canoniste* 1898 p. 27.)

Porro viri catholici atque etiam ecclesiastici, qui in optimos fines et cum legitima venia possident in sua Bibliotheca libros prohibitos, debitam gerant sollicitudinem de destinatione istiusmodi operum post mortem suam : ne propter suam incuriam tunc cœperint aliis nocere, quum de bene factis propriis sibi sperant æternam mercedem.

Laus Deo et Mariæ.

APPENDIX

DUBIA SOLUTA A S. INDICIS CONGREGATIONE.

I.

Dubium 13ª Julii 1897 propositum a S. Congr. Indulgentiarum.

"Utrum in Decreto n. 17 Decretorum generalium *De Prohibitione et censura librorum*, nuper a SS^mo D. N. Leone Pp. XIII. editorum, verba hæc *non publicentur absque competentis auctoritatis licentia*, ita sint intelligenda, ut in posterum Indulgentiarum libri, libelli, folia etc. omnes ad solos locorum Ordinarios pro impetranda licentia sint referendi? An vero subjiciendi sint censuræ *aut* Sacræ Congregationis Indulgentiarum, *aut* Ordinarii loci secundum normas ante novam Constitutionem "Officiorum ac Munerum" stabilitas?

Sacra Indicis Congregatio, omnibus mature perpensis, respondit :

Ad 1^am Partem *Negative*.

Ad 2^am Partem *Affirmative*.

Datum Romæ ex Secretaria S. Indicis Congr. die 7 Aug. 1897".

A. Card. STEINHUBER Præf.

Fr. MARCOLINUS CICOGNANI O. P. a Secret.

II.

1. "Utrum hæc verba articuli 5 "*qui studiis theologicis aut biblicis dant operam*" intelligenda *tantum* sint de doctis viris, iis scientiis deditis, aut extendi valeant ad universos S. Theologiæ Tyrones?

2. An opera (quæ permulta sunt) erroribus infecta a Syllabo damnatis, verbis art. 14 prohibita censentur quatenus errores ab Apostolica Sede proscriptos continentia?

3. Utrum excerpta e periodicis capita seorsim edita (vulgo, *tirages à part*) censeri debeant *novæ editiones*, atque proinde nova approbatione indigeant, prout art. 44 requiritur?

4. Utrum dicta Constitutio vim obligatoriam habeat etiam pro regionibus britannici idiomatis quas tacita dispensatione frui quidam arbitrantur?

S. Congregatio, omnibus mature perpensis, sub die 19 Maii 1898 respondere mandavit :

Ad 1^um *Negative* ad 1^am partem; *Affirmative* ad 2^am.

Ad 2^um *Affirmative* : si hos errores tueantur seu propugnent.

Ad 3^um *Negative*.

Ad 4^um *Affirmative*.

Datum Romæ ex Secretaria ejusdem S. C. Indicis die 23 Maii 1898."

A. Card. STEINHUBER Præf.

Fr. M. CICOGNANI O. P. Secret.

III.

1. "Utrum sub nomine eorum qui studiis theologicis vel biblicis dant operam veniant etiam alumni, qui theologiæ et linguæ hebraicæ ac græcæ in scholis seminariorum vacant?

Et quatenus affirmative.

2. Utrum possit Episcopus permittere ut in scholis alumni, sub ductu professoris, textus hebraïcos et græcos ab acatholicis editos legant et vertant, dummodo non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus talium librorum catholicæ fidei dogmata?

Eadem (*Indicis*) sacra Congregatio, sub die 18 Junii 1898 iisdem dubiis mature perpensis, respondendum censuit :

Ad 1^um^ *Affirmative.*

Ad 2^um^ *Negative*, nisi specialem a S. Sede facultatem obtinuerit.

Datum Romæ ex Secretaria ejusdem S. Congregationis, die 21 Junii 1898."

A. Card. STEINHUBER Præf.
Fr. M. CICOGNANI, O. P. Secret.

TABELLA CONCORDIÆ

Constitutionis cum Dissertatione.

CONSTITUTIONIS	DISSERTATIONIS
Exordium . . .	Num. 5, 6, 8
Art. 1 . . .	» 13 1
» 2 . . .	» 13 2
» 3 . . .	» 15 1
» 4 . . .	» 15 1 6)
» 5 . . .	» 16 1
» 6 . . .	» 16 1
» 7 . . .	» 15 2, 22 1), 29
» 8 . . .	» 16 1
» 9 . . .	» 13 3
» 10 . . .	» 16 2 10 3,
» 11 . . .	» 13 4-6
» 12 . . .	» 13 7, 11 1-8
» 13 . . .	» 14 1, 2, 9, 22 2), 29
» 14 . . .	» 13 8-10
» 15 . . .	» 20, 22 3)
» 16 . . .	» 19 1
» 17 . . .	» 19, 22 4)
» 18 . . .	» 14 3
» 19 . . .	» 22 5)
» 20 . . .	» 14 4, 9, 17, 22 6), 29
» 21 . . .	» 18 1, 2, 12 1
» 22 . . .	» 18 3
» 23 . . .	» 35, 36
» 24 . . .	» 35 1
» 25 . . .	» 35 1 bis
» 26 . . .	» 35 2, 36, 37
» 27 . . .	» 30
» 28 . . .	» 30
» 29 . . .	» 12 2-4, 18 2
» 30 . . .	» 15 2, 22 1), 29

CONSTITUTIONIS		DISSERTATIONIS
» 31	»	10 3, 22 7)
» 32	»	22 8)
» 33	»	22 9)
» 34	»	23
» 35	»	24 1
» 36	»	27
» 37	»	24 2
» 38	»	25 1
» 39	»	25 1
» 40	»	25 2
» 41	»	21
» 42	»	26
» 43	»	25 3
» 44	»	21 3
» 45	»	8, 15, 12 1
» 46	»	11 5
» 47	»	32
» 48	»	33
» 49	»	31

INDEX RERUM PRÆCIPUARUM

Numerus remittit lectorem ad paginam.

Signum * indicat notam.

A

Abailardus, 57.
Abrogatio juris superioris, 30-33.
Acatholici. Quinam, 78, 79. — Eorum libri, 78-80; Biblia, 80-82.
Adolescentes. Quinam, 84; Quoad classicos obscenos, 81-85; Quoad alios libros, 117.
Advocatus legens opus prohibitum, 117.
Albitius. Opus de Inconstantia in Fide, 53 et passim.
Alexander VII. Observatio ad reg. X Ind., 30*.
Alphonsus S. op. cit., 25 et passim.
Alumnus coactus legere prohibita, 117.
Anarchistæ. Secta massonica, 66.
Anglia quoad Indicis obligationem, 39, 40.
